

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

1.-81.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 00894 4

+REX

BIBLIOTHECA REG. A. HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

1414

Λόγος περὶ τῆς εὐλογίας ἐκκλησιαστικῆς

BENEDICTIONIS ECCLESIASTICÆ

Num. 6. v. 22. & seqq. descriptæ

EXPLICATIO,

De qua,

Deo potenter adjuvante maximo in ἀκροατηρίῳ Theologico

Die Junii publicè disputabitur

PRÆSIDE

JOHANNE GERHARDO

Doctore & Professore Publ.

Respondente,

JOHANNE MOLDENIT

Tönningensi Eiderostadiano.

Qui disputationis actum gratiarum actione Hebraico-Latinâ finiet.

JENÆ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO M. DC. XX.

3ß

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

SIGILLOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

בְּעֶזְרַת אֱלֹהִים:

Benedictio Ecclesiastica

ex Num. cap. 6.

v. 22. וַיְדַבֵּר יְהוָה אֶל מֹשֶׁה לֵאמֹר 23. דַּבֵּר
אֶל אַהֲרֹן וְאֶל בָּנָיו לֵאמֹר כֹּה תְבָרְכוּ אֶת בְּנֵי
יִשְׂרָאֵל אָמוֹר לָהֶם: 24. יְבָרֶכְךָ יְהוָה וְיִשְׁמְרֶךָ
25. יָאֵר יְהוָה פָּנָיו אֵלֶיךָ וִיחֻנֶּךָּ: 26. יִשָּׂא יְהוָה
פָּנָיו אֵלֶיךָ וְיָשֵׂם לְךָ שָׁלוֹם: 27. וְשָׂמוּ אֶת
שְׁמִי עַל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וַאֲנִי אֲבָרְכֵם:

תרגום אונקלוס

v. 22. וּמַלֵּיל יְיָ עִם מֹשֶׁה לְמֵימָר: 23. מַלֵּיל
עִם אַהֲרֹן וְעִם בְּנוֹהִי לְמֵימָר כְּדֵין תְּבָרְכוּן יַת
בְּנֵי יִשְׂרָאֵל כַּד תֵּימְרוּן לְהוֹן: 24. יְבָרְכִינָךְ יְיָ
וְיִטְּרִינָךְ: 25. יִנְהַר יְיָ שְׁכִינְתֵּיהּ לְוָתָךְ וִירַחַם עֲלָךְ:
26. יַעְדֵּי יְיָ רַגְזֵיהּ מִינָךְ וִישַׁוִּי לָךְ שְׁלָם 27.
וִישַׁוּוּן יַת בִּרְכַת שְׁמִי עַל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל
וַאֲנָא אֲבָרֵכִינּוּן:

Versio LXX. Interpretum.

v. 22. καὶ ἐλάλησε κύριος πρὸς Μωυσῆν, λέγων. v.
23. λάλησον Ααρὼν καὶ τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ, λέγων. οὕτως εὐλογή-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

σπε τὲς υἱὲς ἰσραὴλ, λέγοντες αὐτοῖς. v. 24. Εὐλογήσαι σε κύριος, καὶ φυλάξαι σε. v. 25. Ἐπιφάναι κύριος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ σὲ, καὶ ἐλεήσαι σε. v. 26. Ἐπάραι κύριος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ σὲ καὶ δῶη σοι εἰρήνην. v. 27. καὶ ἐπιθήσουσι τὸ ὄνομά μου ἐπὶ τὲς υἱὲς ἰσραὴλ, καὶ ἐγὼ εὐλογήσω αὐτὲς. (quidam Codd. notanter addunt, καὶ ἐγὼ κύριος εὐλογήσω.)

Versio vulgata.

Locutusq; est Dominus ad Moſen, dicens: Loquere Aaron & filiis ejus: ſic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te: illuminet Dominus faciem ſuam tibi & miſereatur tui: Attollat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Invocabuntq; nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.

Verſio Tremellii.

v. 22. Præterea alloquutus eſt Jehova Moſchen dicendo: 23. Alloquere Aaronem & filios ejus, dicendo: Sic benedicitote filiis Iſraelis, dicendo eis: 24. Benedicat tibi Jehova, & cuſtodiat te: 25. Faciat Jehova, ut luceat facies ſua tibi, & gratiam faciat tibi: 26. Attollat Jehova faciem ſuam erga te, & apponat tibi pacem. 27. Et imponentes manus filiis Iſraelis invocabunt nomen meum; & ego benedicam eis.

Verſio Pagnini.

Et locutus eſt Dominus ad Moſeh dicendo: 27. Loquere ad Aharon & ad filios ejus, dicendo: Sic benedicetis filiis Iſrael, dicendo eis; 24. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: 25. Lucere faciat Dominus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

minus facies ſuas ad te, & miſereatur tui. 26. Elevet Dominus facies ad te, & ponat tibi pacem. 27. Et ponent nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.

Verſio Vatabli.

v. 22. Et locutus eſt Jehovah ad Moſeh dicendo, v. 23. Alloquere Aaron & filios ejus dicendo. Sic benedicetis filiis Iſrael dicendo eis. v. 24. Benedicat tibi Jehovah & cuſtodiat te. v. 25. Lucere faciat Jehovah faciem ſuam ſuper te & miſereatur tui. v. 26. Convertat Dominus vultum ſuum ad te & det tibi pacem. v. 27. Invocabuntq; nomen meum ſuper filios Iſrael & ego benedicam eis.

Chaldaicæ Paraphraſis Translatio.

v. 22. Locutusq; eſt Dominus cum Moyſe, dicens: 23. Loquere cum Aaron & cum filiis ejus, dicens: Sic benedicetis filiis Iſrael, dicetisq; eis: 24. Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te. 25. Oſtendat Dominus majeſtatem ſuam tibi, & miſereatur tui. 26. Auferat Dominus iram ſuam à te, & ponat tibi pacem. 27. Ponentque benedictionem nominis mei ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.

Piſcator.

Ferner redet der HERR Moſen an/ vnd ſprach: Rede den Aharon an/ vnd ſeine Söhne/ vnd ſprich: Alſo ſolt jhr ſegenen die Kinder Jſrael/ vnd zu jhnen ſprechen: Der HERR ſegne dich/ vnd behüte dich: Der HERR erleuchte ſein Angeſicht vber dich/ vnd ſey dir gnedig. Der HERR erheb ſein Angeſicht vber dich/ vnd geb

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

dir Frieden. Alſo ſollen ſie meinen Namen auff die Kinder Iſrael legen: Ich aber wil ſie ſegnen.

Lutherus.

Vnd der HERR redet mit Moſe/ vnd ſprach/ Sage Aaron vnd ſeinen Söhnen/ vnd ſprich/ Alſo ſolt jhr ſagen zu den Kindern Iſrael/ wenn jhr ſie ſegenet. Der HERR ſegne dich vnd behüte dich. Der HERR laſſe ſein Angeſicht leuchten vber dir/ vnd ſey dir gnedig. Der HERR hebe ſein Angeſicht vber dich/ vnd gebe dir Friede. Denn jhr ſollet meinen Namen auff die Kinder Iſrael legen/ daß ich ſie ſegene.

Analyſis Grammatica.

Antequam ad ipſam benedictionis hujus ἐξηγασίαν deſcendamus, Analyſin Grammaticam præmittemus.

Litera ב benedictionē hanc præcedens, eſt nota diſtinctionis parvæ. Hebræi enim duplicem habent diſtinctionem, Magnam & parvam, Magna exprimitur tribus ב vel tribus etiam ם majuſculis, quæ in Pentateucho ſaltem occurrit, & quidem quinquagies quater, in quot ſectiones vel explicationes (Hebraicè פָּרָשִׁיּוֹת totum Pentateuchum fuit diviſum, quarum ſingulas ſingulis Sabbatis Judæi legerunt, inſtar noſtrorum textuum Evangelicorum, ut ita Lex annuatim in Synagogis per Sabbathicas lectiones abſoluta fuerit. Parva exprimitur unico Saltem ב vel ם & ſæpè ſaltem ornatus cauſſa ſine ulla ſignificatione ponitur.

וַיְדַבֵּר & locutus eſt] fut. Piel à rad. דָּבַר, quæ radix tria ſignificata habet, Locutus eſt, in ordinem redegit, perdidit. ו eſt hîc converſivum, ideoque non tantùm copulat, ſed & mutat in verbo tempora, præteritum in Futurum & viciſſim. Hebræis appellatur Vau הַפֻּךְ

יְהוָה

יְהוָה Nomen τετραγράμματον, quod ſoli Deo tribuitur, à rad. הָוָה fuit, extitit. Quam derivationem oſtendit Deus ipſe Exod. 3. 14. ubi rogatus à Moſe de ſuo nomine, reſpondet אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה ero qui ero v. 15. Et dicebat amplius ad Moſen, ſic dices filiis Iſrael, Jehova Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, miſit me ad vos, hoc eſt שְׁמִי nomen meum in æternum. Ex quo intelligitur idem eſſe אֶהְיֶה ero, & יְהוָה Ens ſive eſſentia, cui addendum tertium הָ quod eſt contractum ex יְהוָה Quemadmodum igitur à צָחַק per literam heemanthicam י formatur nomen proprium יִצְחָק ab עָקַב eadem ratione deducitur nomen יַעֲקֹב ſic à rad. הָוָה vel הָיָה (quia literæ Ehevi ſunt ἀμετάβολοι litera י in ו mutata) per literam י nominum propriorum formativam deducitur nomen Jehova ſolius veri Dei proprium. Hieronymus ab Oleaſtro Luſitanus hanc Etymologiam ab ipſo Deo monſtratam prætermittit, deducens ab הָוָה contritio, pernicies, ut ſit notatio ab effectu. Sed Etymologiam illam meritò rejicimus. De nominis hujus appellatione, ſcriptione, pronunciatione, punctatione, origine, expoſitione, myſtica explicatione vide Capnion. de Cabaliſtica l. 3. & Galatin. l. 2.

אֶל ad, apud, juxta &c. variè ſumitur, interdum pro בְּ in, pro עִם cum, pro עַל contrà, ſupra, ut exempla docent. Schindlerus deducit à rad. אָלָה Buxtorfius verò ab אֵל vel אֱלָה cum ה paragogico, illi illæ.

מֹשֶׁה nomen proprium Moſis à rad. מָשָׁה extraxit, fuit enim ex aquis extractus. Ex. 2. 10. Fuit olim ſcriptum titulo מֹשֶׁה פְּטִירַת dimiſſio Moſis ex hac vita, in quo continentur, quæ in epiſtola Jacobi de Moſis corpore citantur.

לֵאמֹר dicendo, ad dicendum, per craſin pro לֶאֱמֹר eſt infinit. à rad. אָמַר dixit. ל præfixum aliàs eſt nota Dativi, ſed

cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

cum infinitivo conſtituit Gerundium in Dum, & Supinum prius. Notanda hîc regula: Infinitivus ſuo vel alteri verbo ſubjunctus, ſingularem animi affectum denotat. Quando igitur dicitur: Et locutus eſt Dominus ad Moſen לֵאמֹר dicendo, vel ad dicendum, ſenſus eſt: Et locutus eſt Dominus ad Moſen his verbis, in hanc ſententiam.

דַּבֵּר loquere, Imperat. Piel, cujus radicem jam ante vidimus. ד habet Dages lene, juxta regulam: Dages lene inſcribitur literæ ab initio periodi & diſtinctionis.

אַהֲרֹן nomen proprium Aaronis ſummi Sacerdotis.

בָּנָיו nomen plurale in ſtatu cum affixis, ab abſoluto monadico בֵּן filius. Latè ſignificat etiam generum, pullum &c. Imò per Metaphoram transfertur ad res inanimatas, urbes minores, caſtella, villas, vicos & pagos, qui ad urbem aliquam majorem tanquam אֵם matrem, aut metropolin pertinent ejuſque ſunt coloniæ, quando videlicet his ſubjungitur, ſicut è contra metropolis vocatur אֵם mater Joh. 17. v. 16. item ad ramos, ſurculos, palmites, propagines, ad ætatem & tempus. Radix eſt בָּנָה ædificavit.

כֹּה ſic affirmantis & ſimilitudinis particula eſt, interdum etiam loci, itemque temporis. Caph habet Dages lene propter periodi ſive diſtinctionis initium.

תְּבָרְכוּ pro תְּבָרֲכוּ propter literam ר quæ reſpuit Dages ſed cum compenſatione, eſt Fut. Piel, à rad. בָּרַךְ quæ tria ſignificata habet. 1. genua flexit, geniculatus eſt. 2. Per metonymiam accipitur pro omnibus iis actionibus, in quibus genua flectuntur, vel quæ iſto geſtu, ingeniculatione videlicet, fiunt, ut ſunt, precatio, gratulatio, gratiarum actio, ſalutatio, valedictio, & redditur uno verbo omnia hæc complectente, benedixit. Conſtituitur cum אֶת & ל ac tripliciter uſurpatur; 1. de homine ad vel erga hominem. 2. de homine ad Deum, ſeu de creatis erga creatorem. 3. Contra de Deo ad hominem. Vide inf. 3. Per antiphraſin ſignificat maledixit, blaſphemavit.

אֹתָם

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

אֵת articulus, verbis activis subjunctus notat Accusativum, post passiva Nominativum, ubi agens & patiens manifesta sunt, eo non est opus. Habet Sægol propter Maccaph accentum Euphonicum. Nam אֶת aliàs scribitur. Radix est אָתָה venit.

יִשְׂרָאֵל à rad. שָׂרָה principem egit de principatu contendit, significat ־, 1. Jacobum, qui postquam cum Angelo luctatus prævaluit, à Deo ita vocatus est. Gen. 23. 2. duodecim tribus seu populum inde ortum. Psal 114. 3. decem tribus quæ mortuo Salomone ad Jeroboam filium Nabath ex tribu Ephraim se contulerunt. 1. Reg. 15. 4. Ecclesiam.

אָמַר Part. Paal, est unum ex quiescentibus Pe Aleph. vid. sup.

לָהֶם ipsis, compositum ex præfixo ל & affixo Pronomine ־.

וְיִשְׁמְרֶךָּ & custodiat te. Fut. Paal cum affixo secundæ personæ, mutante Holem in Scheva, à rad. שָׁמַר custodivit. Construitur cum Accusat. & quandoque cum Præposit. ל, אֶת.

יָאֵר lucere faciat, pro יָאִיר quia terminatio ֵ saepe migrat in ַ & י in ֵ est Fut. Hiphil, à rad. אוֹר quæ duo significata habet. 1. luxit, illuxit. 2. per metalepsin, lucere fecit, accendit. Bellarm. contendit vocabulũ אוּרִים cujus fit mentio Exod. 28. v. 30. deduci à rad. יָרָה non à rad. אוֹר, sed inscitè, cum talis Etymologia fando non sit audita.

פָּנָיו masculinum plurale in statu absoluto habens פָּנִים facies, à rad. פָּנָה quæ significat 1. respexit, vertit se, declinavit ־. 2. purgavit, evacuavit ־. 3. Rabb. vacavit ־, otiosus fuit ־.

אֵלֶיךָ ad te, compositum ex אֶת illi, illæ, & affixo secundæ personæ ךָ.

וְיִחֻנֶּךָּ & gratiam faciat tibi, fut. Pual, à rad. חָנַן gratiam fecit, misericors fuit. Construitur cum Accusativo rei & personæ. Præfixum Vau habet hiric propter sequens jod.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

יִשָּׂא fut. Paal à rad. נָשָׂא tulit, levavit. Quandoque imitatur formam verborum in ה desinentium, unde à nonnullis refertur inter Monadica. Verbum hoc & inde derivata nomina plurimas phrases gignunt. Dicitur enim 1. de voce, clamore, sermone, cantico, vaticinio, rumore, doctrina, precatione, & significat sublata voce proponere, quod in sermone vox elevetur, aut quod ore portetur. 2. de nomine aut fœdere Dei, & significat jurare, mentionem facere, usurpare. 3. de peccato, & significat vel remittere & condonare, vel luere & dare pœnas. 4. de igne, qui sua natura in sublime fertur, item de elevatione fumi, & significat urere, adurere, comburere. 5. de stirpibus, quæ crescentes elevantur, & significat crescere, provenire, & transitivè, producere. 6. de capite, vel suo, vel alterius. Levare caput est animum erigentis & gaudentis, animosi. In malum, audaciæ, impudentiæ. 8. de manu, & significat orare, benedicere, signum dare. 9. de anima sua vel alterius, & levare animam suam significat inhiare, intentum esse, expetere &c. 10. de corde, quod levatur, aut levat homines, levatur in precatione, sicut manus. 11. de donis, muneribus, epulis, censu, tributis, quæ deferuntur aut portantur.

וְיָשֵׂם & ponat, fut. Hiphil à rad. שׂוּם quiesc. Ayn Vau, ponere. Constructur cum Accusat. & Præp. עַל, אֶל, ל, ב.

שָׁלוֹם pax, non tantum politica & terrena, sed etiam spiritualis & interna, à rad. שָׁלַם quæ significat 1. integer, absolutus, impletus fuit. 2. pacificus, concors, salvus fuit. Inde derivatur Turcicum vocabulum מֻסְלְמָאן Musulman, Turca. Muhammedes enim suum dogma propagabat gladio, & jubebat interfici omnes nolentes amplecti hoc ejus Symbolum: Non est Deus, nisi Deus & Muhammedes Apostolus ejus, quicunque igitur amplectebatur, dicebatur מֻסְלְמָאן salvatus, liberatus, à gladio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

gladio & mortis periculo. מְסֻלְמַאנִין ergò dicuntur Sarraceni & Turcæ, poſtquam ſunt circumciſi. Chriſtiani vero vel Judæi, qui ſe Turcis adjungunt, non Muſulmanni, ſed Mamluchi vocantur.

שְׁמִי nomen meum, in ſtatu abſoluto habet שֵׁם nomen, & refertur inter monadica.

וַאֲנִי & ego, Pronomen cum præfixo ו, quod quia ſequitur Hatephpatach, pro Scheva puncto ordinario, aſſumit Patach.

אֲבָרְכֵם benedicam eis, prima futuri, Vide ſupra.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

Exegesis Theologica.

THESIS I.

Dignitas illius formulæ benedictionis.

SOlennem illam Benedictionis Ecclesiasticæ formulam ab Israelitis in maximo precio ac pondere fuisse habitam, ac haberi etiam debuisse constat;

1. ex authoris principalis denominatione.

2. 1. *ex authoris principalis denominatione.* Neq; enim vel Moses vel Aaron, vel alius quispiam ex Levitarum, sive Prophetarum ordine hujus formulæ author est, sed ipse Deus, qui per Mosen Aaroni eandem revelavit, ac particula כֹּה *sic benedicetis*, manifestum facit, Deum non solùm in genere Aaroni ac Sacerdotibus præcepisse, ut filiis Israel benedicerent, ac conventus Ecclesiasticos cum benedictione finirent, sed in specie etiam verba formalia hujus benedictionis eis præscripsisse.

3. Ille sc. benedictionis formulam præscribere voluit, in cujus nomine benedictio erat proferenda. Quod enim Sirac. 45. v. 19. de Aarone dicitur, quòd *benedixerit populum* ἐν ὀνόματι αὐτῦ, illud sic intelligendum, ut relativum αὐτῦ non ad Aaronem, sed ad ipsum Deum referatur, juxta regulam: *Relativum ad sensum sæpius refertur, non ad expressum aliquod antecedens, quod ex circumstantiis aut ipso argumento depromendum, vel pro ipso antecedente relativum poni intelligendum est.* Exempla vide Num. 7. v. 89. Psal. 16. v. 4. Prov. 25. v. 27. Esa. 21. v. 2. Esa. 57. v. 2. Marc. 9. v. 44. cap. 14. v. 69.

2. ex causæ instrumentalis conditione.

4. 2. *Ex causæ instrumentalis conditione.* Ea verò duplex. Primò *factæ manifestationis.* Secundò *recitandæ benedictionis.* Causa instrumentalis factæ manifestationis est *Moses* fidelis *ille servus in tota domo Dei.* Num. 12. v. 7. Hebr. 3. v. 5. cui Deus ipse

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

ipſe hoc elogium tribuit, quod *ore ad os cùm ipſo locutus fuerit, & quod viſione non per ænigmata neque per figuram Dominum aſpexerit*, Num. 12. v. 8. *quod non ſurrexerit ultra Propheta in Iſrael ſicut ipſe, qui noſſet Dominum à facie ad faciem*. Deut. 34. v 10. Potuiſſet Deus immediatè cum Aarone loqui, & benedictionis hujus formam ei revelare, ſicut alibi cum ipſo fuerat locutus Exod. 4. v. 27. Sed ut Moſis miniſterio in promulgatione legis & conſtitutione Levitici Sacerdotii uſus fuerat, ita placuit divinæ Sapientiæ eodem in benedictionis hujus manifeſtatione uti. Ac ſicut Moſes ſub vitæ finem ſolenni, Propheticâ & extraordinariâ benedictione ſingulis Iſraelitici populi tribubus benedixit Deut. 33. v. 1. ita quoque ad manifeſtandam Sacerdotalis & ordinariæ benedictionis formulam ipſius miniſterium Deus benedictus adhibuit. Cauſa inſtrumentalis benedictionis in Eccleſiaſticis populi conventibus recitandæ itidem à Deo ipſo denominatur, *Aaron ſc. & ipſius filii*, quibus Sacerdotium jamdum erat commiſſum, inde vocatur εὐλογία Ἀαρὼν Sirac. 36. v. 19. non quòd ab Aarone excogitata, ſed quòd ab eodem & filiis ejus in Eccleſiæ congregatione recitata. Cum enim ad Sacerdotis officium pertineat non ſolùm docere & ſacrificare, ſed etiam orare & benedicere, (unde Sirac. 45. v. 19. inter munia Sacerdoti commiſſa recenſetur etiam εὐλογεῖν τὸν λαὸν ἐν ὀνόματι θεῦ, ac 2. Par. 30. v. 27. de Sacerdotibus & Levitis, qui tempore Regis Ezechiæ miniſterio functi fuerunt, dicitur, quod *benedixerint populo*) ideo poſt tradita præcepta de ſacrificiis additur mandatum de benedictione à Sacerdotibus recitanda.

5. Fuit autem Aaron, ut in aliis, ita quoque in hac officii ſui parte typus Chriſti unici ſummi Sacerdotis in N. T. de quo Luc. 24. v. 50 dicitur, quòd jamjam in cœlum aſcenſurus *ſublatis manibus diſcipulis ſuis benedixerit*. Quemadmodum Aaron poſt expletas in docendi & ſacrificandi munere partes, antequam populum dimitteret, benedictionem ei impertivit, ſic Chriſtus cœleſtis Aaron poſt expletum in terris docendi miniſterium, & oblatum in cruce ſacrificium, antequam diſcipulos à ſe dimitteret, benedictionem illis conferre voluit, quâ de re in Harmon. de reſur. p. 522. pleniùs fuit actum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

6. Ne quis verò existimet, benedictionem illam Christi tantum pertinere ad discipulos tunc præsentes, ideò Petrus in genere ad populum Israeliticum dicit Act. 3. v 25. *Vobis misit Deus filium suum benedicentem vobis.* Neve quis suspicetur ad solum Israeliticum populum benedictionem Christi spectare, ideò in promissione Patriarchis de ipso facta notanter dicitur, quòd *benedicendæ sint in ipso omnes gentes terræ.* Gen. 12. v.3. cap. 18. v. 18. cap. 22. v.18. c. 26. v 4. cap.28. v. 14. ac Gal. 3. v. 13. notanter dicitur: *Christus redemit nos à maledicto legis.* v.14. *ut in gentes benedictio Abrahæ fieret.*

3. *ex annexa promissione.*

7. 3. *Ex additâ promissione. Ponent nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Duplicis benedictionis in textu fit mentio, altera tribuitur Sacerdotibus, *sic benedicetis filiis Israel*, altera verò Deo, *ego benedicam eis.* Utrobiq; habetur verbum בָּרַךְ quod de hominibus usurpatum significat primò *genua flectere.* 2.Par.6.v.13. Psal 95. v.6. & quia in oratione, cujus species est benedictio, genua reverentiæ causa flecti consueverunt Dan 6. v.10. Act.20. v.36. ideò postea accipitur pro omnibus illis actionibus, in quibus genua flectuntur, quales sunt *precatio, gratiarum actio, gratulatio, salutatio, valedictio,* & redditur uno verbo omnia complectente, *benedixit.* Gen. 47.v.7. Ex. 12.v.32. &c. sed quando ad Deum transfertnr, tum non amplius significat verbis duntaxat benedicere & bene precari, sed reipsâ benefacere, ut rectè monet Abulensis in 1. Par. 16 Deus enim non loquitur nuda verba, sed res verè existentes. Gen 1. v.2. *dixit Deus, fiat lux & facta est lux.* Psal. 33. v.9. *ipse dixit & facta sunt.* Ambr. l. 1. hex. c.9. *Non ideò dixit fiat lux, ut sequeretur operatio, sed dicto absolvit negotium, dictum statim implevit effectus.* Ut ergo Dei dicere est facere, sic Dei benedicere est benefacere. Sic quando Deus Gen.1. v.28. piscibus, avibus & homini benadixisse dicitur his verbis, *Crescite & multiplicamini*, nihil aliud intelligitur, quàm quòd potentiam generandi ac genus suum propagandi illis contulerit. Chrysost. in Psal. 113. *quid est benedixit? donis innumerabilibus implevit.* Sic Gen. 24. v.35. *Dominus benedixit Domino meo Abrahamo valdè*, i. e. multis eum divitiis auxit, sicut explicatio statim additur, *dedit ei oves & boves, argentum & au-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

& aurum Gen. 33. v. 11. *benedictio* est munus Dei benignitate datum. Deut. 7. v. 13. *Dominus benedicet & multiplicare faciet.* Ergo ut benedictio hominibus attributa significat faustam bonorum apprecationem, ita Deo attributa significat realem bonorum collationem ac complectitur non solùm ἀφαίρεσιν τῶν κακῶν, sed etiam θέσιν καλῶν καὶ εὐεργημάτων gratias privativas & positivas, ut loquuntur.

8. Quando igitur Deus promittit, sic *benedicetis filiis Israel & ego benedicam eis*, sensus est, quando benedictionis illius formulam in Ecclesiasticis conventibus recitabitis, ea non erit nudus sonus aërem verberans, sed ego per illam efficax ero & *filiis Israel benedicam*, i. e. omnis generis beneficia Spiritualia & corporalia in illos conferam. *Sacerdotes benedicebant populo ministerialiter verba benedictionis proferendo, sed Deus benedicebat effectum benedictionis causſando* inquit Lyranus in comment. Sacerdotes benedicebant bona precando, Deus benedicebat bona largiendo. Illorum benedictio erat votiva, hujus verò dativa.

9. Quidam affixum plurale ם referunt ad remotius ad solos scilicet *Sacerdotes*, quibus Deus benedicere velit, si munus suum fideliter exequantur, sed rectiùs ad propinquius videlicet ad *filios Israel* refertur, quia promittit Deus benedictionem illam Sacerdotalem sese ratam habiturum, si fiat juxta verbum ac voluntatem suam. Quò pertinet illud Siracidis c. 36. v. 18. *Exaudi Domine deprecationem servorum tuorum* v. 19. *Secundùm benedictionem Aaron de populo tuo & cognoscent omnes super terram quoniam tu Dominus seculorum.* Lyranus ex individua connexione præcepti divini de hac benedictionis formula traditi cum διαλάγμασι de Nazaræis in hoc capite 6. Numer. traditis colligit, benedictionem illam specialiter super Nazaræos fuisse factam, interim tamen manet illud, quòd expressis verbis in textu asseritur, Sacerdotes etiam *filiis Israel*, i. e. toti cœtui Israelitico hisce verbis benedicere debuisse.

10. 4. *Ex solenni hujus benedictionis recitatione.* Hebræi referente Pagio in not. ad paraphr. Chaldaic. numerant sex requi- *4. Ex solenni hujus benedictionis recitatione.*

requisita ad istam benedictionem necessaria. 1. *ut proferatur linguâ sanctâ.* 2. *ut stando pronuncietur.* 3. *ut Sacerdotes manum attollant.* 4. *ut elevata voce pronuncietur.* 5. *ut facies suas ad populum convertant.* 6. *ut fiat in nomine Dei tetragrammato, quod singulis benedictionibus debet addi,* idq; innui dicunt per illud quod subjicitur. *Et ponant nomen meum super filios Israel & ego benedicam eis,* i. e. cum benedicent filiis Israel adjungent nomen meum tetragrammatum.

11. Sed progressu temporis superstitiosa illâ opinione, quod nomen יְהוָה sit ἀνεκφώνητον apud Judæos invalescente, loco illius substituerunt aliud Dei nomen. Qua de re adducit Drusius in comm. Num. 25. p. 371. locum ex Phesictha. *Sacerdotes cùm in sanctuario benedicerent populo, id faciebant per nomen quadriliterum Jehovah, cùm autem in urbe aut provincia essent, pronunciabant ejus loco Adonai, Tandem verò in ipso etiam sanctuario nomen Jehovah pronunciare desierunt, ac ejus loco aliud nomen usurparunt, quod ipsorum opinione erat quidem sacratius quàm nomen* אדני *interim ineffabili illo tetragrammato adhuc inferius ac minùs divinum & augustum, quo Sacerdotes in quotidianis benedictionibus utebantur, ac soli summo Pontifici in sanctum sanctorum quotannis semel in die scilicet propitiationis ingresso Levit. 16. nomen Jehovah in benedictione proferre licitum erat.*

12. Quia enim nomen Jehovah est quadriliterum, & in benedictione illa ter repetitum duodecim literas conficit, ideò substituerunt illi nomen duodecim literarum הַקָּדוֹשׁ בָּרוּךְ הוּא *sanctus benedictus ipse,* quod quatuor hisce literis הקבוה cum apicibus in capite cujuslibet per notariacon signatis scribebant. Per illud nomen benedictionem divinitùs præscriptam sic proferebant. *Benedicat te sanctus benedictus ipse & custodiat te. Ostendat sanctus benedictus ipse faciem suam tibi, & misereatur tui. Levet sanctus benedictus ipse faciem suam ad te, & ponat tibi pacem.* Vid. Reuchlin. lib. 3. Cabalæ col. 763.

13. Atqui non debebat superstitioni tantum indulgeri, ut à forma verborum divinitùs præscripta, & à majoribus fideliter observata discederent, & nomen aliud humano arbi-

trio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

trio confictum nomini Jehovah divinitus manifestato substituerent.

14. Quod ad Ceremonias recitationis attinet, Gretserus quidem lib.1. de Bened. cap.4. p.12. statuit, *nihil in hac formula de Ceremonia aliqua externa, ut de manuum gestu aut simili apparere.* Sed R. Salomon in Comment. h. l. rectius statuit, quòd Sacerdotes *manus suas distenderint ac elevarint*, quando hanc benedictionem recitarunt. Drusius in Comm. ad loc. difficil. Numer. cap.25. ex Phesictha adducit locum. *Sacerdotes stantes benedicebant & levabant manus versus scapulas*, sicut & Christus summus N. T. Sacerdos ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτῶν discipulis benedixit. Luc.24. v.50. quæ elevatio manuum in precibus ad Deum. Exod.17. v.11. 2.Paral.6. v.13. Psal.63. v.5. 1.Tim.2. v.8. & in juramentis, Gen.14. v.22. Apoc.10. v.5. aliàs fuit usitata, ac signum fuit animæ ad Deum elevatæ Psal.25. v.1. Psal.68. v.4. Psal.143. v.8. quo fine etiam oculorum ad cœlum levatio in seriis precibus fuit usitata. Psal.123. v.1. Joh.17. v.1. Illa levatio & protensio manum super populum in recitatione benedictionis indicio fuit, quod Sacerdotes benedictionem ex Dei manibus acceptam populo communicent ac distribuant. Atque hæc sententia R. Salomonis ex verbis textus quodammodo deduci potest. *Ponant nomen meum super filios Israel*, i. e. dum nomen meum in benedictione pronunciant, attollant versus populum manus suas, non secus ac si illas eis imponere vellent, omnium verò clarissimè patet ex Levit.9. v.22. *Aaron elevans manus suas benedicebat populo*, ac de Simone Sacerdote dicitur Sirac. 50. v.22. ἐπῆρε χεῖρας αὐτοῦ, *extendit manus suas super totam congregationem filiorum Israel, ut daret benedictionem Domini de labiis suis, & in nomine ejus gloriaretur*, in quem locum Jansenius notat, illam manuum elevationem super populum fieri consuetam motione ad quatuor partes sursum, deorsum, sinistrorum & dextrorsum, quo crucis mysterium adumbratum fuisse existimat.

15. Quidam statuunt huic benedictioni Sacerdotali ritum χειροθεσίας symboli externi loco adhibitum fuisse, unde Tremellius & Junius v.27. sic vertunt: *Et imponentes manus meas filiis Israelis invocabunt nomen meum*, ut sit duplex ellipsis

nominis ידים vel כפים ac verbi קרא ac in margine sic notat. *Duobus signis testatam facient populo meam gratiam, quam ego pro fide mea facturus sum, nominis mei invocatione & publicâ ac solenni manuum suarum impositione, quæ duo elegantissimè consecutione quadam elliptica* hoc loco innuuntur.

16. Sed χειροθεσία illa in publica & solennì totius populi benedictione vix potuit locum habere, ideò verisimilius, elevationem manuum illius loco adhibitam fuisse, quæ elevatio ac protensio manuum super populum χειροθεσίαν repræsentavit, quamvis interim non iverim inficias, si quando uni alicui personæ in individuo hæc benedictio fuit collata, quod manuum impositio recitationi adhiberi potuerit, cum Jacob Patriarcha filiis Joseph benedicat manibus super capita eorum decussatim impositis Gen. 48. v. 17. ac Christus, cùm afferrentur ipsi infantes *manum imponens eisdem benedixit* Matth. 19. v. 15. Marc. 10. v. 16.

17. Sanè quidam ex affixo numeri singularis ה colligere volunt benedictionem illam in specie ad unam personam adeoque ad singulos qui in concione adfuerunt, fuisse directam, ut hac ratione omnibus præsentibus manus fuerint imponendæ, & benedictionis recitatio toties repetenda, sed multitudo populi tale quid cogitare vix permittit, ideò ex collatione cum versu præcedente, in quo Sacerdotes filiis Israel benedicere jubentur, rectiùs colligitur, totum populum Israeliticum in congregatione præsentem considerari velut unam personam, sicut etiam Exod. 4. v. 22. Israel dicitur *filius Dei primogenitus*, ut sit sensus. Benedicat tibi Deus ô populo Israel, interim privatæ & speciali applicationi nihil decessit, quod enim jussu & autoritate divinâ Sacerdotis ore pronunciabatur, ac omnibus præsentibus offerebatur, id singuli verâ fide sibi applicare & poterant & debebant.

18. Nec ulla nos cogit necessitas, ut in verbis *ponant nomen meum super filios Israel*, duplicem ellipsin cum Tremellio constituamus, quia *ponere nomen Dei super aliquem & ei benedicere*, nihil aliud est, quàm invocato Dei nomine sive cum invocatione nominis divini alicui benedicere, sicut exponitur 2. Sam. 6. v. 18. *Benedixit David populo* בְּשֵׁם *in nomine*

Jeho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

Jehovah, ac longè adhuc clarius Deut. 6. v. 18. *elegit Deus tribum Levi ad portandum arcam fœderis, ad ſtandum coram Domino & miniſtrandum ei, & ad benedicendum in nomine ejus*, quod repetitur cap. 21. v. 5. Quod autem *benedicere in nomine Dei* ſit cum invocatione nominis Dei ſeu invocato Dei nomine benedicere, patet ex Deut. 28. v. 10. *Videbit omnis populus, quòd invocatum eſt nomen Domini ſuper te*, quamvis etiam ibi ſenſus eſſe poſſit, quòd Iſraelitæ ſint Dei populus, ſed hæ duæ explicationes ſunt ſibi invicem ſubordinatæ. Inde Chaldæus hoc loco reddidit. *Ponant benedictionem nominis mei ſuper filios Iſrael.* Et Vatablus. *Invocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael.* Sic nomen Dei dicitur poſitum in tabernaculo ac templo, in loco ſcilicet illo, quem elegit Deus ad habitandum Deut. 12. v. 5. 1. Reg. 9 v. 3. cap. 14. v. 21. 2. Reg. 21. v. 4. 2. Paral. 33. v. 7. quia Deus memoriam nominis ſui in eo loco inſtituerat Exod. 20. v. 24. ac Deus ibi invocabatur & colebatur ſacrificiorum oblatione.

19. 5. *Ex quotidiana hujus benedictionis frequentatione.* Cùm enim ſingulis diebus mane & veſperi in Eccleſiæ congregatione oblata fuerint ſacrificia, veriſimile eſt hanc benedictionem quotidie ad minimum bis fuiſſe à Sacerdotibus pronunciatam, quoties ſcilicet populum ex templo dimiſerunt. Luc. 1. v. 9. cum Zacharias Sacerdos incenſum poneret coram Domino v. 10. *Omnis populi multitudo erat orans foris horâ incenſi* v. 21. *nam erat plebs expectans Zachariam*, ut ſcilicet benedictionem ſolennem & Sacerdotalem ſuper ſe pronunciari prius quàm digrederetur, audiret. *5. Ex quotidiana hujus benedictionis frequentatione.*

20. Nec abſurdè colligitur ex Pſal. 67. v. 8. quando Sacerdotes in pronunciatione hujus benedictionis dixerunt. יְבָרֶכְךָ יְהוָה *benedicat tibi Deus*, tum populum ex vera fide reſpondiſſe אֱלֹהִים יְבָרְכֵנוּ *benedicat nobis Deus, Deus noſter, benedicat nobis Deus*, quo etiam ſenſu accipi poteſt illud Siracidis cap. 36. v. 18. *Preces ſervorum tuorum* (Druſius notat probatiſſima exemplaria legere τῶν ſupplicum tuorum) *exaudi Domine juxta benedictionem Aaronis pro populo tuo factam.* cap. 50. v. 23. de Iſraelitis dicitur, *iteraverunt in*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

adoratione, ut acciperent benedictionem ab Altissimo. (per ministerium scilicet Sacerdotis, ut ex antecedentibus intelligitur.)

21. Atque ex his non obscurè colligitur benedictionem illam Sacerdotalem in maximo pondere ac precio ab Israelitis fuisse habitam & quotidiano usu frequentatam, ex quo consectarii loco duo colligimus.

Consectaria ex dignitate hujus benedictionis.

1. *Benedictionis illius formulam haud immeritò etiam in Ecclesia N. T. usurpari.* Neque enim pertinet ad ritus Leviticos in N. T. abrogatos, sed ad promissionem de gratiosa Dei præsentia in Ecclesia. Exod. 20. v. 24. *In quocunq; loco memoriam nominis mei instituero, veniam ad te & benedicam tibi.* Ea verò promissio non expiravit in N. T. sed perpetuò adhuc durat Matt. 18. v. 20. c. 28. v. 20. Joh. 14. v. 23. ideò dulcissimam illam promissionem Ecclesiæ Israeliticæ factam, *habitabo in illis* sive inter illos, *& inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus* Lev. 26. v. 12. D. Apostolus disertè ad Ecclesiam Christianam in N. T. accommodat 2. Cor. 6. v. 26. inde formula illa benedictionis in nostris Ecclesiis ante populi dimissionem iisdem omninò verbis repetitur. In Ecclesia Romana explicita trium Divinitatis personarum mentio adjicitur. *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, Filius & Spiritus sanctus,* notante Corn. à Lap. in comm. Num. 6. p. 799.

3. Eandem in N. T. meritò retineri.

22. Quod si namque privata benedictio, quâ alter alteri benedicit, non caret suo fructu, docente Theophylacto in cap. 10. Matth. ex verbis Christi. Matth. 10. v. 12. *introëuntes in domum salutate eam, & siquidem domus fuerit digna, veniet pax vestra super eam,* quantò minus publica & Ecclesiastica illa benedictio, quam ministri Ecclesiæ, qui *legatione pro Christo funguntur* 2. Cor. 5. v. 20. suo destituetur fructu? ubi tamen notandum, nos Christianos in N. T. non esse simpliciter & absolutè ad hanc formulam benedicendi astrictos, quasi non liceret, aliâ verbo Dei congruâ uti, sed ex libertate Christiana eandem nos observare, itemque efficaciam hujus benedictionis non esse Judaicâ quadam superstitione tribuendam literis & syllabis horum verborum, aliàs verba Hebræa retinenda essent, sed divinæ gratiæ juxta promissionem suam efficaciter

per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

per ministerium Sacerdotum operanti & fidei promissionem illam sibi applicanti.

23 2. *Ecclesiæ Israeliticæ mysterium Trinitatis non fuisse penitus ignotum*, cùm in quotidiana illa benedictione perpetuum ejusdem memoriale habuerint. Quoties igitur à Sacerdotibus invocato Dei nomine, benedictionem illam sibi denuntiari audiverunt, toties admoniti fuerunt, ut verum illum Deum, in cujus nomine benedicebantur, rectè agnoscerent, colerent & invocarent. Eum verò in essentia unum, sed in personis trinum esse ex illa ipsa benedictionis formula cum articulo creationis, beneficio liberationis ex Ægypto ac promissionibus de Messia divinitus editis pio studio collata discere potuerunt, id quod ulterius à nobis demonstrandum fuerit.

2. Mysterium Trinitatis non fuisse Ecclesiæ Israeliticæ penitus ignotum.

24. Mysterium Trinitatis duo præcipua capita complectitur. 1. *Personarum Trinitatem.* 2. *Essentiæ divinæ unitatem, Fides enim Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, non confundentes personas, neque substantiam separantes*, i. e. ut agnoscamus tres esse personas unius indivisæ essentiæ, videlicet, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Utrumq; membrum pro modo revelationis V. T. congruo in benedictione illa Sacerdotali proponitur.

Demonstratio Trinitatis ex illa benedictionis formula.

25. Trinitatem personarum Divinitatis in ea exprimi ostendimus. 1. *ex trina nominis Jehovah repetitione.* Neque enim semel duntaxat in hac benedictione nomen Jehovah exprimere jubentur Sacerdotes. *Jehovah tibi benedicat & custodiat te, illuminet faciem suam super te & misereatur tui, elevet faciem suam ad te & ponat tibi pacem*, neque bis duntaxat illud exprimere, neque sexies illud repetere, cum tamen sex distincta beneficia à Jehovah expetenda & expectanda enumerentur, sed sanctum & augustum illud nomen in quavis benedictione tribus vicibus, non pluribus nec paucioribus repetere jubentur, quam tergeminam in brevissima illa & ἐμφατικωτάτη benedictionis solennis formula, otiosam esse nemo dixerit, qui noverit illud Hebræorum, *nullum esse in Scripturis jota, nullum apicem, à quo non pendeant montes doctrinarum.* Quod si otiosa non est, utique trinum aliquid in ipso Deo, à

1. ex trina nominis Jehovæ repetitione.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

quo omnis benedictio descendit, significat, illud verò nihil quicquam potest esse aliud quàm Trinitas personarum, cùm essentiæ & essentialium attributorum respectu hîc sit summa & simplicissima unitas. Weidn. in loc. fid. Christ. præcipt. p. 95. *Dixit ter Deus ad demonstrandum, quòd sit Trinitas. Nonne enim sufficiebat ei, Dei nominis semel mentionem facere & cum eo omnes has benedictiones associare, nisi per trinam nominis Dei commemorationem Trinitatem personarum in divinis figurare voluisset?* Quod si ergò τῷ ἑνητῷ hic insistas & ad mysterium Trinitatis personarum in divinis trinam nominis Jehovah repetitionem referas, omnia erunt plana & perspicua. *Benedicat tibi Jehovah* Deus Pater *& custodiat te. Illuminet Jehovah* Deus filius *faciem suam super te & misereatur tui. Elevet Jehovah* Deus Spiritus sanctus *faciem suam ad te & ponat tibi pacem.* Sed si causas trinæ illius repetitionis proprio arbitrio excogitare incipias, omnia erunt obscura, dubia & incerta, neque enim constans & firma trinæ repetitionis illius afferri potest ratio, præter eam, quæ in ipsis Scripturis traditur, videlicet, quòd sint tres Deitatis personæ, à quibus benedictio, i. e. omnis generis corporalia & Spiritualia beneficia ad nos descendunt, id quod ex adversariorum exceptionibus ac detorsionib. manifestùm evadet inferiùs. Observationem etiam illud meretur, quod benedictio in tres partes dividatur & quælibet pars ab altera per Silluk sive Soph pasuk distinguatur, quod ipsum innuit de distinctis personis sermonem esse. Sed hoc ipsum non unicè nec præcipuè urgemus, verùm cum reliquis sententiæ nostræ fundamentis ὡς ἐν παρόδῳ conjungimus.

2. Ex distinctorum beneficiorum enumeratione.

26. 2. *Ex distinctorum beneficiorum enumeratione.* Hebræi benedictionem illam sic explicant. *Benedicat tibi* Dominus, i. e. det tibi copiam omnium bonorum temporalium & Spiritualium, benedictio enim significat boni collationem, sicut maledictio boni privationem. *Et custodiat te*, i. e. bona, quæ tibi largitur, custodiat, ut non auferantur per hostes & homines malos. *Lucere faciat Dominus faciem suam super te*, i. e. respiciat te vultu hilari, ita ut quicquid ab illo petieris, mox te compotem votorum tuorum reddat. *Et misereatur tui,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

tui, in tempore ſcilicet tribulationis, vel det tibi quod petis. *Convertat Dominus faciem ſuam ad te*, ut ſcilicet eum invenias & præſentem habeas, quocunque te vertis, *& ponat tibi pacem*, ut nihil mali tibi accidat neque ab hoſte, nec à mala beſtia, nec à quacunque re alia, ubi AbenEzra & alii ex Rabinis notant emphaſin, quod *pacis* poſtremò fiat mentio, eò quod pax ſit ſummum ac præcipuum bonum, ſicut contrà bellum eſt ſummum & præcipuum malum, unde proverbiali locutione dicunt, *cùm non eſt pax, nihil eſt.* Sed Hebræum שָׁלוֹם latiſſimè patet neque ſolùm pacem externam, ſed in genere omnem felicitatem & proſperitatem ac bona animi, corporis & fortunæ ſignificat.

27. Quidam ex Hebræis benedictiones illas etiam ſic explicant, quaſi ſemper in qualibet benedictione ſequens clauſula ſit expoſitio antecedentis, ut cùm dicitur, *Benedicat tibi Dominus*, mox explicationis gratiâ additur, quid ſit hæc benedictio, nempè *cuſtodiri ab omni malo.* Sic *lucere faciem* ejus dicitur, cum propitius eſt, & remittit peccata. *Attollere verò faciem ſuam* cum largitur pacem. Sed à Rabinis genuinam & ſinceram Scripturæ expoſitionem quærere, eſt à cœcis viam ducatum quærere, ut multis oſtendit Förſterus in præfat. ſui Lexici Hebræi, *velum enim poſitum eſt ſuper oculos & cor ipſorum.* 2. Cor. 3. v. 16. id quod vel ex hujus ipſius loci interpretatione manifeſtum. Nam R. Salomon referente Abulenſi eum ſic παραφράζει. *Benedicat tibi Dominus*, i. e. *det tibi multos filios & cuſtodiat te, ne ſcilicet habeas filias*, quam expoſitionem non ſolùm præpoſteram & abſurdam, ſed etiam profanam & impiam eſſe quivis facilè intelligit.

28. Lyranus talem explicationem profert. *Ponuntur*, ait, *ſex per ordinem. Benedicat tibi Dominus gratiam juſtificantem conferendo & cuſtodiat te à peccati recidiva & gratiam datam continuando. Oſtendat tibi Dominus faciem ſuam intellectum tuum in ſui cognitione illuminando, & miſereatur tui pœnam pro peccatis tuis præteritis relaxando. Convertat Dominus vultum ſuum ad te ſuas conſolationes immittendo, & det tibi pacem cauſſas perturbationis auferendo.* Ex recentioribus Interpp. quidam primum hujus benedictionis membrum

brum referunt ad mali tàm corporalis quàm ſpiritualis remotionem, alterum ad beneficiorum tàm corporalium quàm ſpiritualium collationem, tertium ad peculiaris & ſummi beneficii, pacis ſcilicet ſive reconciliationis cum Deo donationem.

29. Sed optima & tutiſſima interpretatio eſt ea, quæ ab ipſo Spiritu ſancto in Scripturis nobis monſtratur, in quibus ſingularum Deitatis perſonarum beneficia hîc enumerari manifeſtè traditur, unde Athanaſ. in lib. de comm. eſſentia Patr. Fil. & S. S. tom. 1. part. 379. ed. Comm. ex hac benedictionis formula probat, quod etiam in V. T. SS. Trinitas τὴν ἰκείαν τὴν ἐνέργειαν exhibuerit.

30. De *Deo Patre* perſona prima dicitur. 1. *Benedicat tibi, & 2. cuſtodiat te*, ubi duo beneficia exprimuntur, 1. *Benedictio.* 2. *Protectio.* 1. Benedictio in genere complectitur omnis generis beneficia, tàm corporalia quàm Spiritualia, tàm temporalia, quàm æterna, hæc Deo Patri tribuitur, primò, quia ut ipſe eſt fons Trinitatis, ita quoque fons eſt omnis benedictionis in genus humanum deſcendentis; ſecundò quia idem ut in prima rerum creatione rebus à ſe conditis benedixit Gen. 1. v. 22. & 28. cap. 5. v. 2. ita adhuc hodie iiſdem benedicit per ſuſtentationem, conſervationem, gubernationem & mediorum ad finem cuique Enti præſtiturum neceſſariorum collationem. Tertiò, quia eidem non ſolùm benedictio corporalis, ſed etiam ſpiritualis in Chriſto & per Chriſtum nobis præſtita originaliter tribuitur. Gen. 9. v. 1. *Benedixit Deus Noæ & filiis ejus & dixit, Creſcite & multiplicamini.* cap. 12. v. 2. inquit Deus ad Abrahamum. *Faciam te in gentem magnam & benedicam tibi & manificabo nomen tuum.* c. 28. v. 3. Iſaacus ad Jacobum dicit. *Deus omnipotens benedicat tibi.* Deut. 2. v. 7. *Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere.* Cumprimis verò notandus locus Apoſtolicus Eph. 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione Spirituali in cœleſtibus in Chriſto.*

31. Cuſtodia reſpicit ad beneficium conſervationis, ſuſtentationis, protectionis ac defenſionis, quod ipſum ad opus creationis Deo Patri appropriatum pertinet, quia conſerva-

tio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

tio nihil aliud eſt, quàm eſſendi quædam continuatio. De hac Dei Patris cuſtodia dicitur Job. 10. v. 2. *Vitam & miſericordiam tuam feciſti meum, & viſitatio tua cuſtodivit Spiritum meum*, ubi Jobus ſe à Deo in utero mirabiliter formatum, & ab eodem in vita clementer hactenus conſervatum ac omnibus bonis auctum agnoſcit, ita enim cuſtodiam illam explicat cap. 29. v. 2. *Utinam eſſem juxta menſes priores, juxta dies, quibus cuſtodiebat me Deus, dum ſplendere faciebat lucernam ſuper caput meum.* De eadem dicit David Pſal. 17. v. 8. *Cuſtodi me Domine ut pupillam oculi tui, in umbra alarum tuarum me abſconde.* Pſal. 121. v. 2. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram* v. 3. *non dormitabit* שֹׁמְרֶךָ *cuſtodiens te* v. 4. *non dormitabit neque dormiet cuſtodiens Iſrael.* v. 7. *Dominus cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam.* v. 8. *Dominus cuſtodiet exitum tuum & introitum tuum.* Pſal. 127. v. 1. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem &c.*

32. In prima igitur benedictionis parte à Deo patre Sacerdotes Iſraelitis precabantur beneficia ad articulum creationis pertinentia. *Dominus benedicat tibi & cuſtodiat te*, hoc eſt, conſervet tibi vitam, donet corporis & animi vires, clementer tueatur ab hoſtibus & omnibus adverſis, det victum & neceſſaria ad hanc vitam, *obumbret tibi alis ſuis.* Pſal. 91. v. 4. addat tibi cuſtodes Angelos, qui in viis tuis te deducant. v. 11. 2. ſit *circum te murus igneus* Zach. 2. v 5. &c.

33. De *Deo filio* ſecunda perſona dicitur. 1. *Lucere faciat Dominus faciem ſuam ſuper te.* 2. *& miſereatur tui*, ubi iterum duo conjunguntur beneficia. 1. *divinæ faciei illuceſcentia.* 2. *divina gratia & miſericordia.* Theodoretus quæſt. 11. in Num. pag. 91. adventum Chriſti promiſſi Meſſiæ hiſce verbis prænunciari exiſtimat. *Secunda* (inquit) *benedictio, Dei ac Salvatoris noſtri apparitionem prænunciat. Nam miſericordiæ plena eſt Dei ac Salvatoris noſtri diſpenſatio ſecundùm carnem, quæ propter reconciliationes etiam erga Deum nobis largitus eſt.*

34. Ad hanc Theodoreti ſententiam referri etiam poteſt membrum prius, quia primò Filius Dei dicitur *facies Dei*, ut intelligitur ex collatione. Exod. 23. v. 20. cum Exod. 33. v. 14. & *Angelus faciei* Eſa. 63. v. 9. unde non ſolùm Chriſtiani in-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

terprētes, sed etiam Rabini, per faciem Dei in Scripturis intelligunt Messiam. Sic Hieronymus in comm. Psal. 80. v. 4. *Deus converte nos* וְהָאֵר (est idem verbum quod hoc loco usurpatur à rad. אור in Hiphil) *& illumina faciem tuam & salvabimur*, per *faciem Dei* (inquit) *intelligit Messiam*. Galatinus lib. 3. de arcanis Cath. cap. 12. locum Propheticum Mal. 3. v. 1. *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante faciem meam*, sic exponit, ut per Angelum Johannem Baptistam, per faciem Dei Messiam intelligendum esse tradat. R. Moses in dictum Oseæ 6. v. 3. *Vivificabit nos post duos dies, & in tertio suscitabit, & vivemus ante faciem ejus*, sic commentatur. *Vivemus ante faciem ejus, qui est Rex Messias, sicut dictum est. Domine Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam & salvi erimus.* Flacius in Clav. Script. p. 298. hûc refert phrasin in Scripturis usitatissimam, *quærere faciem Dei*, i. e. Deum in Filio Mediatore agnoscere, colere & invocare.

35. 2. Neque solùm vox faciei ad Filium secundam Deitatis personam (quæ est εἰκὼν ἀοράτε Θεῦ Sap. 7. v. 26. Hebr. 1. v. 3. Col. 1. v. 15. substantialis *imago Patris*, per quam Patrem cognoscimus, sicut per faciem hominem cognoscere solemus) nos deducit, sed etiam lucis sive luminis appellatio in Scripturis sacris ei appropriata ad eundem nos revocat, quia in promissionibus de Messiæ adventu & Filii ἐνσαρκώσει frequens & usitata est illa denominatio. Psal. 89. est commentarius promissionis Davidi de Messia divinitus factæ 2. Sam. 7. in eo verò inter cætera de Messia sic loquitur Psaltes v. 17. Domine בְּאוֹר־פָּנֶיךָ *in lumine faciei tuæ ambulabunt, in nomine tuo exultabunt omni die, & in justitia tua exaltabunt se* (per nomen Dei intelligitur itidem Messias Dei filius de quo Exod. 23. v. 21. Deus pater dicit, *nomen meum est in medio ejus*) cum quo congruit illud Psal. 36. v. 10. עִמְּךָ מְקוֹר־חַיִּים *apud te* vel tecum est *fons vitæ*, & *in lumine tuo* בְּאוֹרְךָ *videbimus lumen* (de Filio Dei promisso Messia hoc intelligendum esse patet non solùm ex N. T. Joh. 1. v. 9. cap. 4. v. 14. cap. 7. v. 37. sed ex ipsorum etiam Rabinorum interpretione. Nam in Midras

Thil-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

Thillim i. e. in cõmentario Psalmorum dicit R. Joanno in h. Psal. *Simile est hoc homini, qui per iter auxilio cujusdam lucernæ pergit ad lucem in nocte, quam quidem extinctam à vento iterum accendit & rursum extinguit, & ipse incendit & hoc facit sæpè & sæpè, demum ipse dicit, ut quid inde tantus labor erit? Volo expectare donec Sol exeat, ad cujus lucem faciam iter meum. Simili modo fuerunt filii Israel subjugati in Ægypto & venientes Mose & Aaron liberaverunt eos, deinde fuerunt subjugati in tempore Sissaræ & venientes Barac & Debora liberarunt eos Et sic in quolibet tempore, donec dixerunt. Valdè sumus in liberationibus fatigati, quia eò quod fuerit per carnales homines, confestim sicut prius tribulamur. Sed jam à modo nolumus, nisi per Deum liberari, & hoc est quod dicit David Psal. 118. Deus Dominus & illuxit nobis.* Dixit *Rabbi Hanna. Moses glorificavit Israel dicens. Beatus es tu Israel, quis similis tui populo, qui salvaris in Domino? Deut. 33. Non dixit, quem salvat Dominus, sed qui salvaris à Domino, quia Deus dixit sic. In hoc mundo vos estis per manus hominum salvati, sed in tempore venturo egomet redemptor vester ero, ita ut deinceps nequaquam ab alio judicati sitis sive subjugati.* Refert Hieron. de sancta fide lib. 1. cap. 5. Hebræomast. p. 52.) Esai. 9. v. 2. *Populus, qui ambulat in tenebris videt* אוֹר גָּדוֹל *habitantibus in regione umbræ mortis* אוֹר נָגַהּ עֲלֵיהֶם *lux orta est illis,* Esa. 42. v. 6. *Dabo te in fœdus populi & in lucem* לְאוֹר *gentium.* cap. 49. v. 6. *dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* cap. 60. v. 1. *Surge illuminare, quia venit* אוֹרֵךְ *lux tua & gloria Domini super te orta est* v. 2. *super te orietur* יְהוָה *& gloria ejus super te videbitur.* v. 3. *& ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore vultus tui.* (Confer. Apocal. 21. v. 24.) Malach. 4. v. 2. Messias dicitur *Sol justitiæ.* Sap. 7. v. 26. de Filio dicitur, quòd sit ἀπάυγασμα τῆς φωτὸς αἰωνίς. In N. T. nihil usitatius; Filius enim dicitur τὸ φῶς Joh. 1. v. 5. cap. 3. v. 19. cap. 8. v. 12. cap. 9. v. 5. cap. 12. v. 35. 36. 46. ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Luc. 1. vers. 78. τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς. Hebr. 1. vers. 3. ac de adventu Filii Dei in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

mundum ſive ὑπαρκτῶς uſurpatur hæc phraſis Tit. 2. v. 11. ἐπιφάνη *illuxit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus.* Confer. cap 3. v. 4.

36. 3. Nevè quis excipiat, non ex vocibus ſimplicibus, ſed ex phraſi integra genuinam benedictionis interpretationem eſſe deſumendam, ideò conjungimus illa Scripturæ dicta, in quibus incarnatio Filii Dei & beneficia illius per illuceſcentiam divinæ faciei ſuper homines deſcribuntur. Pſal. 31. v. 7. הָאִירָה פָנֶיךָ *lucere fac faciem tuam ſuper ſervum tuum,* הוֹשִׁיעֵנִי *ſalva me propter miſericordiam tuam*, i. e. reſpice ad ſervum tuum, eſto ei propitius & ſalva eum. Atqui hæc ſalus, hæc reconciliatio, hæc peculiaris Dei miſericordia non niſi in Chriſto ac propter Chriſtum nobis contingit. Pſal. 80. v. 3. *Domine ſuſcita fortitudinem tuam* גְּבוּרָתְךָ *& veni ad ſalutem nobis* (hæc fortitudo & hæc ſalus Domini eſt promiſſus Meſſias.) v. 4. *lucere fac faciem tuam & ſalvabimur.*

37. Nec dubium eſt, quin hac phraſi reſpectus fuerit habitus ad columnam nubis & ignis Iſraelitas per deſertum deducentem, quæ & *facies & lux* Domini dicitur, unde phraſis, *accedere ad facies* ſive in conſpectum Domini, id eſt, ad columnam nubis & ignis, ſicut exponitur Exod. 16. v. 10. *gloria Domini conſpecta eſt in nube.* Oſtendimus autem in explicatione argumenti à beneficio liberationis ex Ægypto & deductionis per deſertum deducti in illa columna Angelum Domini, i. e. filium Dei, Iſraelitas deduxiſſe. Exod. 14. v. 19. *& profectus eſt Angelus Dei, & profecta eſt columna nubis.* v. 20. *& illuminavit noctem.*

38. Ac quia ex ipſa columnæ illius præſentia Iſraelitæ Dei gratiam; ex ejus verò averſione Dei iram colligere potuerunt, ideò in hac benedictione orant Sacerdotes, ut *Dominus faciem ſuam ſuper ipſos lucere faciat*, i. e. ut Dei filius dux itineris vultu propitio populum reſpiciat, nec faciem ſuam ab illis avertat. Manifeſtum enim eſt ex addita voce *lucis* nomen *faciei* hîc in bonam partem ſumi pro Dei favore & gratia, cùm in aliis Scripturæ dictis pro ira, indignatione ac pœna divina accipiatur, quemadmodum in facie hominis ejuſ-

dem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

dem favōt & ira conſpicitur, quibus enim favet, illos lætâ & ſerenâ facie aſpicit, quibus verò iraſcitur, illos nubilo ac torvo vultu intuetur, ac proinde cùm Deus talem ergà nos animum gerat, qualem in Chriſto revelavit ac neminem niſi in Chriſto favore ſuo complectatur, ideò illuceſcentia faciei divinæ rectiſſimè ad Chriſtum Dei Filium accommodatur.

39. Conjungo etiam emphaticum locum Dan. 9. v. 17. *Domine Deus* הָאֵר פָּנֶיךָ *fac lucere faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum* אֲדֹנָי לְמַעַן *propter Dominum.* Quis ille Dominus niſi promiſſus Meſſias Dei Filius? propter quem Propheta ſe exaudiri petit, de cujus miſſione in carnem clariſſimum vaticinium in eodem capite extat, ac in ipſa oratione de tempore adventus Meſſiæ Propheta per Angelum confirmatur, ex quo ipſo manifeſtè patet, phraſin hanc ad Meſſiam rectè accommodari.

40. Ex N. T. huc refero dictum Apoſtolicum. 2 Cor. 4. v. 6. *Deus qui dixit ex tenebris lucem ſplendeſcere, qui illuxit in cordibus noſtris* πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ubi & illuceſcentiæ & faciei mentio fit, atque utrumque ad Chriſtum accommodatur, qui eſt ſubſtantialis Dei imago & reſplendeſcentia gloriæ paternæ, quia ex ſinu patris divinam patefactionem humano generi protulit. Nimirum nec lumen Solis, nec lumen humanæ rationis, nec lumen legis potuit auferre connatas intellectus noſtri tenebras, ſed lumen gratiæ, quod Chriſtus vera lux in mundum ſecum attulit, illud unicè præſtare potuit.

41. 4. Omnium verò clariſſimè id probat vox חָנַן in poſteriore hujus ſententiæ membro poſita. Ea enim cùm *favorem, gratiam & miſericordiam Dei* ſpecialem, quâ dilectos ſuos filios complectitur, denotet, ad Meſſiam nos deducit extra quem Deus, qui eſt ignis conſumens, neminem gratiâ ſuâ complectitur. Eph. 1. v. 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Joh. 1. v. 17. ἡ χάρις διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο.

42. Id ipſum etiam ex V. T. elucet. Exod. 33. v. 19. quando Dominus de Meſſia loquitur, *tranſire faciam omne bonum meum*, immediatè ſubjicit, & *gratiam præſtabo, cui gratiam præ-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

sto; *miserebor, cui misereor.* Psal. 101. v. 14. David adventum Messiæ seriis expetens suspiriis, inquit. *Tu Domine exurges, miseraberis Sion, quia tempus miserendi* לְחַנְּנָהּ h. e. ut mittatur is, propter quem misericordia & gratia Sioni obtingit. Dan. 9. v. 17. Propheta petit se clementer exaudiri *propter Dominum*, i. e sibi & populo gratiam remissionis peccatorum & exauditionis contingere propter Messiam. Sic quando pii in V. T. dicuntur *invenisse gratiam coram Domino*, id Hebr. 11. sic explicatur, quod fide in promissum Messiam hanc gratiam fuerint consecuti, & in Filii incarnatione dicitur apparuisse ἡ σωτήριος χάρις Tit. 2. v. 11.

43. 5. Psalmum 67. hujus benedictionis quasi commentarium quendã esse nemo dubitare potest. Atqui in eo secundũ membrum benedictionis ad Messiam Dei filium accommodatur v. 2. *Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet faciem suam super nos* (verba omnia ex benedictionis formula sunt desumta) v. 3. *ut sciamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum?* Quis verò ille, qui viam Domini nobis manifestavit, quodnam illud salutare Dei in omnibus gentibus? Filius Dei promissus Messias, qui se vocat *viam* Joh. 14. v. 6. quem Simeon vocat *Salutare paratum à Deo ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis Israel.* Luc. 2. v. 30. 31. 32. unde Psaltes vaticinium de vocatione gentium tempore Messiæ completum subjicit. *Confiteantur tibi populi omnes.*

44. Relinquitur ergò secundum hujus benedictionis membrum de secunda Trinitatis persona de Filio Dei promisso Messia esse accipiendum, in quo *facies Dei* relucet tum personæ, tum officii & beneficiorum respectu, per quem ac propter quem solum Dei gratia nobis obtingit.

45. De *Spiritu sancto* tertiâ Trinitatis personâ dicitur. *Jehovah elevet faciem suam super te & ponat tibi pacem,* ubi iterum duo beneficia exprimuntur. *Faciei levatio* & *pacis donatio.*

46. 1. *Levare* vel *elevare faciem* super aliquem, si de Deo usurpatur, benevolentiæ, acceptationis & favoris significationem habet, ut intelligitur ex phrasibus cognatis. Psal. 4. vers. 7.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

verſ. 7. נְסֵה עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ ubi habetur verbum cognatum נָסַה *eleva ſuper nos lumen faciei tuæ.* Gen. 19. v. 21. נָשָׂאתִי פָּנֶיךָ *ſuſcepi faciem tuam, etiam in hoc verbo,* i. e. etiam hac in re favorem & gratiam meam tibi præſtabo, vel gratificabor tibi. Contrariam ſignificationem habet, quando Deus dicitur *ponere faciem ſuam contra aliquem.* Lev. 20. v. 5. cap. 26. v. 17. *dare faciem ſuam contra animam* Lev. 17. v 10 h. e. ex ira & indignatione cum aliquo agere. Item *faciem ſuam abſcondere & avertere ab aliquo.* Deut. 32. v. 20. 2. Paral. 30. v. 9. h. e. favorem, gratiam & benevolentiam ab aliquo avertere.

47. Hoc ergo benedictionis membrum non incommodè ad Spiritum ſanctum refertur, ipſe enim eſt *Spiritus gratiæ* Zach. 12. v. 10. quia per regenerationem conciliat homini Dei gratiam, teſtimonium in cordibus piorum reddit de Dei gratia, & donum Spiritus ſancti eſt donum ex gratia, inde David Pſal. 51. v. 13. orat, *ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me*, ubi per contrarium negatum, per projectionem ſcilicet à facie Dei, quam ſolicitè deprecatur, intelligitur elevatio faciei ſuper ipſum per Spiritus ſancti donationem & conſervationem. Huc pertinet oppoſitio. Pſal. 104. v. 29. *abſcondes facies tuas, terrebuntur; emittes Spiritum tuum creabuntur, & innovabis faciem terræ.*

48. Neque quenquam turbet, quòd eadem ferè phraſis de Filio fuerit uſurpata, quia idem in aliis etiam Scripturæ dictis abſque ulla perſonarum confuſione contingit. Sic Filius dicitur *facies Dei* Exod. 23. v. 20. *Angelus faciei* Eſa 63. v. 9. & de Spiritu ſancto dicitur Eſa. 57. v. 16. *Spiritus à facie mea egredietur.* Dan 7. v. 10. *Fluvius igneus egrediebatur à facie ejus.* De Filio dicitur ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον Joh. 8. v. 42. de Spiritu ſancto dicitur, nos accipimus Spiritum ἐκ τοῦ Θεοῦ 1. Cor. 2. v. 11. nimirum quia emanatio æterna ex Patris eſſentia utrique perſonæ communis eſt, ut interim Filii propria ſit generatio, Spiritui ſancto ſpiratio ſive proceſſio, Adde quòd hîc reſpectus potiſſimùm habeatur ad opera gratiæ, quæ Deus per Filium & Spiritum ſanctum in Eccleſia operatur, quæ licet cuique Trinitatis perſonæ certâ ratione approprientur,

tamen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

tamen ſunt omnibus tribus perſonis communia, juxta regulam: *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.* Denique favor & gratia Dei, quæ per faciei elevationem ſignificatur, ac ſpiritualium beneficiorum communicatio diverſo reſpectu & Filio & Spiritui ſancto in Scripturis ſacris appropriatur, illi quidem ratione meriti & acquiſitionis, huic verò ratione applicationis per verbum & Sacramenta.

49. *Pacem* conſcientiæ, quæ pacis ſpecies eſt nobiliſſima, quæque potiſſimum in hac benedictione intelligitur, donat nobis Deus per Spiritum ſanctum. Pſal. 51. v. 14. *redde mihi lætitiam ſalutis tuæ, & Spiritu ſpontaneo (principali) confirma ſive ſuffulcies me.* v. 12. *Spiritum* נָכוֹן *rectum*, firmum, certificantem & confirmantem me de gratia tua, *innova in viſceribus meis*, inde vocatur *Spiritus roboris* Eſa. 11. v. 2. In N. T. res eſt clariſſima. Rom. 14. v. 17. *regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed juſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto.* cap. 15. v. 13. *Deus ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in ſpe, in virtute Spiritus ſancti.* Gal 5. v. 22. *Fructus Spiritus eſt gaudium, pax.* Phil. 4. v. 7. *Pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum, cuſtodiat corda veſtra & cogitationes veſtras in Chriſto Jeſu.* Hanc pacem Spiritus ſanctus in cordibus efficit ac fovet. Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, qui erat & qui venturus eſt, & à ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt*, i. e. à Spiritu ſancto, qui eſt ſeptiformis munere.

50. Ex quibus apparet tertium illud benedictionis Sacerdotalis membrum ad Spiritum ſanctum, qui eſt Spiritus gratiæ & pacis, qui lucem veræ agnitionis Dei, lætitiæ & conſolationis in nobis accendit, & pacem in cordibus fovet, haud incongruè referri poſſe, ac proinde complecti beneficia, quæ ad articulum ſanctificationis pertinent.

3. Exinterpretationis hujus ad fidei analogiam applicatione.

51. Tertium explicationis noſtræ fundamentum petimus ex *ejusdem ad fidei analogiam applicatione.* Præceptum eſt Apoſtolicum, *Prophetiam* ſive interpretationem Scripturæ debere inſtitui κατὰ ἀναλογίαν τῆς πίστεως Rom. 12. v. 6. h. e. debere eam congruere cum principalibus fidei articulis in perſpicuis & manifeſtis Scripturæ locis alibi traditis & expoſitis inque ea ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων obſervari debere 2. Tim.

2. Tim 1. v. 13. Jam verò explicatio noſtra, quâ ter geminam nominis Jehovah repetitionem, & diſtinctam illam Spiritualium beneficiorum enumerationem ad myſterium Trinitatis accommodamus, eſt fidei analogiæ congrua, quod probamus triplici ratione. 1. quia Scriptura docet, verum illum & æternum Deum, à quo omne bonum ac donum ad nos deſcendit Jac. 1. v. 17. eſſe in eſſentia unum, ſed in perſonis trinum, videlicet Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, ut ex V. & N. T. ſuo loco fuit demonſtratum, ac peculiariter huc pertinent dicta Scripturæ, in quibus nomen Jehovah ſolius veri & æterni Dei proprium Filio & Spiritui ſancto tribuitur. Jam verò in hac benedictione à vero & æterno Deo omnis generis beneficia, corporalia & ſpiritualia petuntur. Ergò à Patre, Filio & Spiritu ſancto eadem petuntur, & per conſequens, qui trinam nominis Jehovah repetitionem ad Patrem, Filium & Spiritum ſanctum in explicatione hujus benedictionis accommodat, à fidei analogia minimè omnium aberrat. 2. quia Scriptura docet, & gratiam Dei & dona per gratiam, χάριν καὶ χαρίσματα non niſi in Chriſto ſive propter Chriſtum ac per Spiritum ſanctum nobis contingere. Chriſtus enim eſt unicus ille humani generis Mediator & Salvator, de quo Rom. 5. v. 15. Apoſtolus dicit: ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε. Ipſe eſt ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ Col. 1. v. 3. dilectus ille, propter quem & in quo etiam nos diligimur. Matth. 3. v. 17. in quo Pater omnem ſuam complacentiam quaſi depoſuit, extra quem nulli prorſus Dei gratia ſalvifica obtingit, quia omnes per Naturam ſumus *filii iræ*. Epheſ. 2. v. 3. qui non eſt in hoc Filio, & quem Pater cœleſtis non aſpicit in hoc Filio, ſuper eum *manet Dei ira*. Joh. 3. v. 63. Chriſtus eſt benedictum illud ſemen, in quo ſolo & non in alio benedicuntur omnes gentes. Gen. 12. v. 3. cap. 18 v 8. cap 22. v. 18 cap. 26. v. 4. per illum benedicit nobis Deus Actor. 3. v. 25 per illum benedictio Abrahæ venit in gentes Gal. 3. v. 14. in ipſo benedicit nobis Pater cœleſtis ante tempora ſecularia Eph. 1. verſ. 3. quomodo ergò gratia Dei & dona per gratiam extra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

hunc Filium cuiquam possent contingere? De Spiritu sancto dicitur, quod sit *Dei digitus* Matth. 12. v. 22. Luc. 11. v. 20. quia Deus per Spiritum sanctum dona ac beneficia Spiritualia in Ecclesia distribuit. Jam verò in hac benedictione dona ac beneficia Dei non solùm corporalia, sed etiam Spiritualia à Deo petuntur, impetrantur ac credentibus communicantur. Ergò ea à Deo in Christo sive propter Christum & per Spiritum sanctum in Ecclesia petuntur, impetrantur ac communicantur, & per consequens, qui trinam nominis Jehovah repetitionem ad Patrem, Filium & Spiritum sanctum in explicatione hujus benedictionis accommodat, à fidei analogia non recedit. 3. quia Scriptura docet, Patrem non operari in operibus ad extra, (ad quæ etiam beneficiorum distributio in Ecclesia pertinet) absque Filio & Spititu sancto, Joh. 5. v. 17. *Pater meus usque modò operatur & ego operor.* Joh 14. v. 10. *Pater in me manens ipse facit opera.* v. 11. *non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est.* 1. Cor. 12. v. 14. *divisiones gratiarum sunt, idem verò Spiritus* vers. 5. *divisiones ministrationum sunt,* idem *autem Dominus:* v. 6. *& divisiones operationum sunt,* idem *verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ratio pendet ab ὁμοουσίᾳ harum trium Divinitatis personarum, quæ suo loco plenius confirmatur. Jam verò in hac benedictione à Deo petitur, ut opera gratiæ in Ecclesia efficiat benedicendo, custodiendo, pacem donando, propitium se demonstrando. Ergò petitur, ut Deus Pater unà cum Filio & Spiritu eadem efficiat, & per conseq. qui explicationem hujus benedictionis ad singulas Trinitatis personas accommodat, contra fidei analogiam minimè peccat.

4. Ex aliorum Scripturæ locorum collatione.

52. Quartum fundamentum deducimus *ex aliorum Scripturæ locorum collatione.* Loci paralleli, qui cum hac benedictione conferri possunt, duplicis generis sunt. Quidam *remotiores*, quidam verò *propinquiores.*

53. Remotiores dico, in quibus nomen Jehovah & Elohim de Deo usurpatum tribus vicibus in una sententia repetitur Exod. 3. v. 25. *Sic dices filiis Israel, Deus Patrum vestrarum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me ad vos.* (Weidn. in loc. fid. Christ. præcip. pag. 139. *In eo, quod ter dixit*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

dixit Deus, personarum Trinitatem insinuavit. In eo autem, quod semel dixit Dominus, nec miserunt, inquit, sed misit, divinæ Naturæ seu essentiæ unitatem demonstravit. Et postea. *Ter dictum est* אהיה v. 14. *ad demonstrandam Trinitatem, scilicet, sum Pater, sum Filius, sum Spiritus sanctus, & non sumus tres Dii, sed sum unus Deus* &c. Just. in ἐκθ. πίσ. & Theod quæst 4. in Genes. hoc urgent, quod in denominatione illa à Patriarchis omittitur Josephus. R. Abraham Picus in libello apicum Hebræorum referente Galat. lib. 2. cap. 4. *In nominibus Patriarcharum fit mentio Divinitatis, quoniam dicit Elohe Abraham &c. Et quando speculatus fueris in nomine Elohe, invenies Divinitatem pluraliter signatam, & qui intelligit, intelligat.)* Exod. 20. v. 5. יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵל קַנָּא *Dominus Deus tuus Deus Zelotes.* Deut. 6. v. 4. *Audi Israel,* יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד *Dominus Deus noster Dominus unus est.* (Gal. lib. 2. de arcan. cap. 1. *cum in præmemoratis verbis, Audi Israel &c. ter nomen Dei ponatur secundo tantùm nomini additur noster, & non primo aut tertio, quod non absque profectò factum est, ex hoc enim manifestè innuitur, quod neque Pater, qui est prima in Trinitate persona, neque Spiritus sanctus, qui est tertia in eadem Trinitate persona, sed solus Filius, qui est secunda ejusdem Trinitatis persona, per nostræ humanitatis participationem noster futurus erat.* Et postea. *Thalmudistæ illi veteres, qui hujus arcani non omninò ignari erant, statuerunt, quod tàm Esaiæ verba cap. 6. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth, quàm ista Deuteronomii. Audi Israel, Deus Deus noster, Deus unus est, ab unoquoq; Judæorum saltem bis in die, manè scilicet & vesperi dicerentur, quod apud eos usque huc servatur, ut dum Judæi ipsi hæc eadem verba ore pronunciant & Divinarum personarum Trinitatem & divinæ essentiæ unitatem, sicut verba illa designant, ita se quoque corde credere protestentur.* In Zoar, cujus summa apud Judæos autoritas, R. Simeon Benlohai profert locum ex R. Ibba super hunc textum. *Per primum Jehovah quod est nomen Dei incommunicabile intelligit R. Ibba Patrem rerum omnium principium, qui est Antiquus antiquorum, hortus*

radicum & omnium rerum perfectio. Per Elohenu Dominus noſter Filium profunditatem fluminum & omnium ſcientiarum fontem. Per ſecundum Jehovah Spiritum ſanctum ex ambobus procedentem, qui quidem vocis menſura eſt. Vocat verò unum, ut unum cum alio colligat; quia individuus eſt, nec revelabitur hoc arcanum ante Meſſiæ adventum. Paul. Weidn in loc. fid. Chriſt. præcip. tract. 1. p. 138. *Non aliam ob cauſſam Moſes ter Dei nomen ibi poſuit, ut divinarum perſonarum Trinitatem diſtinctè inſinuaret, in dictione autem unus quam immediatè ſubjicit, innuit tres perſonas divinas, non tres Deos, ſed unum eſſe Deum, i. e. unam Naturam, unam Deitatem. Judæi omnes hîc magna arcana contineri teſtantur, quod ex hoc maximè cerni poteſt, quia quilibet Judæorum, ut latè conſtat ex libro Berachoth, i. e, orationum ſive benedictionum, tenetur ſingulis diebus ſaltem bis hujusmodi ſex dictiones ore explicare & proferre, in cujus rectæ mentis vocisq; prolatione beatitudinem conſiſtere volunt, unde ſingulis diebus quibusdam matutinis laudibus dicunt. O beatos nos, qui quotidie manè & veſperi bis ſurgimus dicentes: Audi Iſrael, Deus, Deus noſter, Deus unus eſt, quæ verba dum proferunt, caput movent modò huc modò illuc, eaque motu capitis ſignum crucis repræſentant.* Poſtea adducit locum illum ex R. Simeone Bentohai & addit. *Idem etiam R. Menahem Rahanad autoritate Lyzoar. Deut. 6. planè confirmat ſuper illud verbum, Audi Iſrael, ubi expreſsè de Trinitate facta eſt mentio, ait enim Chaldaicè. Non licet in his ſeculis, quousq; adveniat Meſſias revelare ſcilicet hoc.* p. 139. Et *notandum eſt dictum. Audi Iſrael &c. Ecce ter Dei nomen ponitur, quid eſt, quod ſecundò tantum nomini additur Elohenu, i. e. Deus noſter & non primo & tertio, ex eo colligitur, quod non Pater, nec Spiritus ſanctus, ſed ſolus filius per humanitatis noſtræ participationem noſter futurus erat)* Deut. 32. v. 39. Videte nunc כִּי אֲנִי אֲנִי הוּא *quia ego ipſe & non Dii mecum* (Gal. d. libr. cap. 2. *Apud Hebræos tria ponuntur nomina, quæ apud eos divina ſunt* אֲנִי אֲנִי הוּא *quæ ego, ego ipſe apud nos interpretantur. Quid igitur ibi per tria hæc divina nomina, niſi trium divinarum perſonarum pluralitas ac diſtinctio deſignatur? Et quid per illud, quod ibidem imme-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

immediatè ſubjicitur, & non ſunt Dii mecum, inſinuatur, niſi quod tres illæ divinæ hypoſtaſes per tria illa divina nomina deſignatæ non ſunt tres Dii ſed unus Deus? Weidn. d. l. *hæc eſſe tria nomina divina confirmat ex Eſaia & Zacharia. Patet illud (inquit) liquidò ex Eſaia, dum ipſemet Deus ait* אֲנִי יְהוָה הוּא שְׁמִי *Ego Deus, ipſe eſt nomen meum, & Zacharias dixit. Veniet tibi Juſtus & Salvator* הוּא *id eſt ipſe. Quid aliud exprimere voluit, quàm id quod Eſaias clarè expreſſit* cap. 35. אֱלֹהִים הוּא יָבוֹא וְיוֹשִׁיעֲכֶם *Deus ipſe veniet & ſalvabit vos. Salvare enim propriè ſolius Dei eſt. Quid igitur per tria hæc divina nomina niſi trium divinarum perſonarum pluralitas ac diſtinctio deſignatur? & quid per illud, quod ibidem immediatè ſubjicitur. Et non ſunt Dii mecum, inſinuatur, niſi quod tres divinæ perſonæ per tria illa nomina deſignatæ non ſunt tres Dii, ſed unus Deus. Subſtantia enim divina eſt indiviſibilis & unus & idem Deus eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus)* Pſal. 42. v. 2. *Quemadmodum cervus deſiderat ad torrentes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te* אֱלֹהִים v. 3. *Sitivit anima mea ad Deum* לֵאלֹהִים לְאֵל חָי, *Deum vivum, quando veniã & videbo faciem Dei.* פְּנֵי אֱלֹהִים Pſ. 50. v. 1. אֵל אֱלֹהִים יְהוָה *Deus Deus Deus locutus eſt,* (Midras Thillim hoc loco quærit, *quare iterata ſint hujusmodi tria nomina*, reſpondet autem, *quia his tribus nominibus creavit Deus univerſum. Manifeſtum igitur eſt, quod creatio ſit opus trium perſonarum divinitatis* Galat. lib. 2. de arc. cap 4.) Pſal 51. v. 16. *Libera me de ſanguinibus* אֱלֹהִים אֱלֹהֵי תְשׁוּעָתִי *Deus Deus ſalutis meæ.* v. 17. אֲדֹנָי *Domine labia mea aperies.* (Geminatur in v. 16. nomen Deus, per primum intelligitur Pater, per ſecundum perſona Filii, qui eſt redemtor noſter & autor ſalutis noſtræ, perſona Spiritus ſancti exprimitur per hæc verba, *Domine labia mea aperies*, quia ad Spiritum ſanctum pertinet aperire labia ignorantium) Eſa. 33. v. 22. *Jehovah judex noſter, Jehovah legifer noſter, Jehovah rex noſter ipſe ſalvabit nos.* Jer. 33. v. 2. *Sic dixit Jehovah qui facit, Jehovah qui format, Jehovah eſt nomen ejus.* Dan. 9. v. 19. אֲדֹנָי *exaudi* אֲדֹנָי *parce.* אֲדֹנָי

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

אזנך *attende.* (in v. 17 præcedente dixerat, *Domine exaudi nos propter Dominum*, illum ſcilicet, cui Pſal. 110. v. 1. dicitur, *Sede à dextris meis*, quod non poteſt de una perſona intelligi) Zach. 2. v. 10. *Canta & lætare filia Sion, quia ecce ego veniam & habitabo in medio tui ait Jehovah* v. 11. *& adhærebunt gentes multæ ad Jehovam in die illa & erunt mihi in populum & habitabo in medio tui.* Et *ſcies quod Jehovah Zebaoth miſit me ad te* (hic Jehovah dicit ſe eſſe miſſum à Jehovah, quod non poteſt de una perſona accipi, ſed neceſſariò referendũ eſt ad Meſſiam, qui à Deo patre mittendus erat.) Zach 3. v. 2. *dixit Jehovah ad Satan, Increpet Jehovah te Satan, increpet Jehovah te, qui elegit Jeruſalem.* In quibus & ſimilibus dictis obſervetur illud Galatini lib. 2. de arc. cap. 2. *Ubicunq; in ſacris V. T. literis unius Dei eſſentia inſinuatur, ſemper ferè ibidem & trium perſonarum pluralitas innuitur. Et econtra quocunq; in loco perſonarum Trinitas exprimitur, ſemper penè eodem quoque in loco & divinæ ſubſtantiæ unitas explicatur, ne aut propter ſingularis* (malim unius) *Dei unitatem perſonarum Trinitas à divina Natura excludatur, aut propter Perſonarum Trinitatem plures Dii eſſe credantur: ſed ſic in altero tres ipſæ divinæ hypoſtaſes abſque confuſione ab invicem diſtinctæ credantur, ut in altero ipſius Dei unitas omninò ſalvetur.*

54. Locos parallelos propinquiores vocamus eos, qui alias benedictionis ac δοξολογίας formulas continent, in quibus itidem plurium Deitatis perſonarum fit mentio. Tales ſunt potiſſimum quinque.

1. Gen. 48. v. 15. *Deus in cujus conſpectu ambulo benedicat &c.*

55. 1. Gen. 48. v. 15. Jacobus Patriarcha nepotibus ſuis Joſephi filiis ſic benedicit. הָאֱלֹהִים verus ille *Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt patres mei Abraham & Iſaac* הָאֱלֹהִים verus ille *Deus, qui paſcit me à tempore præcedente uſque ad diem hanc.* v. 16. הַמַּלְאָךְ *Angelus ille qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris iſtis.* Bellarm. lib. 1. de ſanct. beat. cap. 19. Gretſerus lib. 1. de benedict. cap. 2. & alii Pontificii intelligunt hoc de creato quodam Angelo, ſed huic opinioni ad ſtabiliendam Angelorum invocationem excogitatæ fortiſſimè refragatur. 1. *emphatica præfixi* ה Hajediah ſive *notificativi*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

tivi adjectio, quæ oſtendit, non de vulgari aliquo Angelo creato, ſed de Angelorum Principe ac Domino ſermonem eſſe. Ille Angelus ſcilicet, qui præcepit, ut à facie Labanis in regione patrum meorum reverterer. Gen. 31. v. 11. qui mecum in forma viri luctatus eſt cap. 32. v. 24. ille benedicat pueris hiſce. Jam verò is non fuit creatus Angelus, ſed increatus & æternus, quod conſtat tum *ex nomine*, vocatur enim הָאֵל Deus ille fortis, quod eſt nomen ſolius Dei proprium. Gen. 31. v. 13. cap. 32. v. 28. 30. 31. tum *ex opere*, quia Angelus ille revocat Patriarcham in regionem patrum ſuorum ex Meſopotamia, Gen. 31. v. 13. id quod ipſe Jehovah ſe facturum promittit Gen. 28. v. 15. idem Angelus ſalutem animæ Jacobo confert, quam ex aſpectu creati Angeli Patriarcha obtinere non potuit Gen. 48. v. 16. tum denique *ex cultu*, quia Jacobus huic Angelo votum fecit Gen. 31. v. 13. jam verò non licet ulli creaturæ vovere, ſed hic cultus eſt ſolius Dei proprius, ac evidentia textus manifeſtum facit, Patriarcham non creato alicui Angelo, ſed ipſi Deo feciſſe votum. Gen. 28. v. 13. 16. 20. 21. ab eodem etiam Angelo Patriarcha petit benedictionem v. 26. quam autoritativè conferre ſoli Deo competit. Ergò Angelus ille, à quo Jacob nepotibus benedictionem precatur, non fuit creatus aliquis Angelus. 2. *divini operis attributio.* Ab illo Angelo Jacob benedictionem nepotibus precatur, qui מִכָּל־רָע *ab omni malo* ipſum liberaverat. At hoc beneficiū Deus ipſe Jacobo ſe præſtiturum erat pollicitus Gen. 28. v. 15. *cuſtodiam te quocunq; ibis & redire te faciam ad terram hanc, quia non relinquam te, donec fecero quod locutus ſum tibi*, quæ eſſe verba hujus ipſius Angeli, à quo Jacobus ab omni malo ſe eſſe liberatum dicit, patet ex Gen. 31. v. 11. *Angelus Dei dixit ad me.* v. 13. *Ego Deus Bethel cui votum feciſti.* Adde quod liberatio ab omni malo complectitur etiam liberationem à peccato, quod eſt malum maximum, à quo reliqua mala omnia oriuntur, jam verò à peccatis liberare eſt ſolius Dei proprium. Urgemus etiam verbum גֹּאֵל quod de hoc Angelo Patriacha uſurpat, illud verò in propria ſignificatione Filio Dei tribuitur, cùm talem redemtorem ſignificet, qui carnis propinquitate illi, quem redimere cupit, ſit conjunctus, ut conſtat ex

Lev. 25.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

Lev. 25. unde ſolenne eſt in Scripturis hoc verbum Filio Dei qui eſt *caro de carne noſtra*, & *os ex oſſibus noſtris* Epheſ. 5. v. 30. tribui, quippe qui in temporis plenitudine homo factus eſt, & carnem noſtram aſſumſit, ut tanquam propinquus & conſanguineus noſter proximus nos ſub peccatum venundatos & in poteſtatem Satanæ redactos jure propinquitatis ſanguine ſuo redimeret ac ſuo regno nos vindicaret. Confer Exod. 3. v. 8. cap. 23. v. 20. Pſal. 72. v. 14. Eſa. 63. v. 9. Oſeæ 13. verſ. 14. Förſt. in Lex. in voce נָגַל 3. *cultus divini exhibitio.* Jacobus enim eadem ab hoc Angelo petit, quæ à Deo petierat ac æquali omninò honore cùm vero Jehovah ipſum dignatur, cùm in benedictionis opere eum cum vero Jehovah conjungat. Ergò non fuit creatus aliquis Angelus, quia non licet λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Rom. 1. v. 25. aut gloriam ſoli Deo debitam ad ullam creaturam etiam Angelicam transferre Eſa. 42. v. 8. Tertull. (vel potiùs Novatianus) lib. de Trinit. cap. 27. p. 645. *Non ceſſat Scriptura Angelum* (illum qui cum Jacobo luctatus fuerat) *Deum dicere, Deum Angelum pronunciare. Nam cum Manaſſen atque Ephrem filios Joſeph benedicturus eſſet, hic ipſe Jacob transverſis ſuper capita puerorum manibus conlocatis, Deus,* inquit, *qui paſcit me à juventute mea usque in hanc diem, Angelus qui liberavit me ex omnibus malis, benedicat pueros hos. Uſque adeò autem eundem Angelum ponit, quem Deum dixerat, ut ſingulariter in exitu ſermonis ſui poſuerit perſonam, de qua loquebatur dicendo, benedicat pueros hos: Si enim alterum Angelum voluiſſet intelligi plurali numero duas perſonas fuiſſet complexus, nunc unius perſonæ ſingularem numerum in benedictione non poſuit, ex quo eundem Deum atque Angelum intelligi voluit. Sed enim Deus Pater accipi non poteſt, Deus autem & Angelus Chriſtus accipi poteſt.* Adde quod benedictio ſit ſpecies quædam invocationis, quare cùm ab Angelo illo Jacobus benedictionem nepotibus ſuis precetur, utique eundem etiam invocat, jam verò invocatio eſt cultus ſoli vero Deo debitus ut alibi pleniùs demonſtratur. Certè invocatio & fides in divulſo nexu connectuntur ab Apoſtolo Rom. 10. v. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Jam verò non licet in ullam creaturam, quæ eſt extra Deum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

Deum, fiduciam cordis collocare Jerem. 17. v. 5. Ergò etiam non decet ullam creaturam religiosè invocare & ab ea benedictionem alteri precari. Quæ omnia ostendunt, Angelum illum, de quo Jacobus loquitur, non fuisse aliquem ex creatis Angelis, sed increatum Angelum, verum scilicet Deum, cum verò unus tantùm Deus sit essentiæ respectu, consequens est, hunc Angelum esse ejusdem cum Patre essentiæ, sed hypostaseos ratione ab eodem distinctum, cùm alia persona sit quæ mittit, alia quæ mittitur. Quemadmodum igitur Jacobus in sua benedictione duas distinctas personas divinas nominat, à quibus benedictionem nepotibus precatur, ut evidentia verborum manifestum facit: ita quoque in formula benedictionis Sacerdotalis trina nominis Jehovah repetitione tres distinctas Deitatis personas exprimi nemo inficias iverit. Posset collationis gratiâ hûc referri benedictio Mosaica Deut 33. v. 16. ubi Moses ab Angelo, qui in rubo ardente ipsi apparuerat. Exod. 3. v. 2. hoc est à Filio Dei, quem vocat שֹׁכְנִי סְנֶה habitatorem rubi tribui Joseph benedictionem & gratiam precatur.

56. 2. Psalmus 67. nihil aliud est, quàm commentarius hujus benedictionis Sacerdotalis, in eo verò discrimen personarum, à quibus benedictio petitur, manifestiùs exprimitur. Sic enim habet Psalmi conclusio. *Benedicat nobis* אֱלֹהִים *Deus* אֱלֹהֵינוּ *Deus noster, benedicat nobis Deus & metuant eum omnes fines terræ.* v. 7. & 8. Hieron. in comm. h. l. *Benedicat nobis Deus, scilicet Deus Pater, Deus noster, i. e. filius, ipse enim Deus noster.* Et *vocabis*, inquit, *nomen ejus Emanuel, i. e. nobiscum Deus. Deus noster benedicat nos, Deus Spiritus sanctus. Videte mysteriũ Trivitatis in uno versiculo comprehensum.* Idacius Clarus contra Varimadum in Hæres. p. 254. statim in princ. *Si Trinitas non est, quare David tertiò dixit, Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus? Si unitas non est, quare cùm tertiò Deum nominasset, benedicat dixit, & non benedicant adjunxit?* Fulgent. in discuss. objection. Arianar. in Hæresiolog. pag. 41. *David Deo per omnia placitus sub hac credulitate* (Trinitas) *populo fideli divinæ benedictionis gratiam his verbis*

2. *Psal. 67. 6, 7. Benedicat nobis Deus &c.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

exoptat infundi: Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus & metuant eum omnes fines terræ. Caſſiod. in Pſal. 66. *Dixerat ſemel Deus, ſed ne gentilium Dominus putaretur, quia ipſi ſe dicunt Deum colere, quamvis vanis erroribus implicentur, additur Deus noſter, ut revera ipſe ſolus colendus Deus credatur, quem ſancta Catholica colit & confitetur Eccleſia, i. e. Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.* Greg. Magnus lib. 29. moral. cap. 16. *David ut autorem omnium Deum in Trinitate oſtenderet, dixit. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, ac ne tertio Deum nominans tres Deos dixiſſe putaretur, ilicò unitatem ejusdem Trinitatis inſinuans addidit, & metuant eum omnes fines terræ.* Galat. lib. 2. de arcan. cap. 1. *In eo quod ter ponitur Deus, trium divinarum perſonarum deſignatur diſtinctio, in ea autem, quod ſecundo tantum loco adjungitur noſter, ſolum Filium per Naturæ noſtræ aſſumtionem noſtrum fore inſinuatur, ut palàm demonſtretur, tres perſonas divinas, non tres Deos eſſe, ſed unum ſolum Deum.* Similia habet Weidn. in tract. 1. de præcip. locis fid. Chriſt. p. 139. ubi confert cum hac circumſcriptione nomen Immanuelis Eſa. 7. v. 14. ac notat per ſingulare additum, *metuant eum*, divinæ eſſentiæ unitatem ſignificari. Videmus igitur, quòd David per quem Spiritus ſanctus locutus eſt 2. Sam. 23. v. 2. hanc benedictionis formulam ſic intellexerit, quòd Jehovah, qui ſecundo loco nominatur, ſit *Deus noſter*, i. e. noſter Emanuel, qui per carnis aſſumtionem futurus ſit noſter Deus, verus ſcilicet homo ac verus Deus in perſonæ unitate.

3. Ex δοξολογία Angelica.

57. 3. Δοξολογία Angelorum Eſa. 6. correſpondet huic benedictionis Sacerdotalis formulæ. Quemadmodum enim Deus benedicit Angelis & hominibus *realiter*, i.e. varia beneficia & omnis generis bona in illos conferendo: Sic Angeli & homines Deo benedicunt *verbaliter*, i. e. nomen ejus extollendo & gratiam ipſius prædicando. Aliter enim benedicit Deus homini & Angelis, aliter verò Angeli & homines benedicunt Deo. Sic cum David Pſal. 34. v. 2. dixiſſet, *Benedicam Domino in omni tempore*, ſtatim ſubjecit explicationem, *ſemper laus ejus in ore meo*. v. 3. *in Domino gloriabitur anima mea.* Baſil. in Pſal. 66. p. 150. tom. 3. *ſcire convenit, homines cum Deo bene-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

benedicunt, sola illi verba offerre: Deum verò cum benedicit, verba ipso opere confirmare & omnis generis bonorum suppeditare proventum. Idem verò Deus est qui benedicit Angelis & hominibus, & cui vicissim Angeli & homines benedicunt, quia benedictio ab Angelis & hominibus propterea Deo redditur, quia ipse priùs in omnibus bonis creaturæ suæ benedixit. Aug. in Psal. 66. *Prior est in nobis benedictio Domini & consequens est, ut & nos benedicamus Dominum. Illa pluvia, iste fructus est. Ergo redditur tanquam fructus agricolæ Deo compluenti nos & colenti.* Apoc. 4. v. 9. quatuor animalia mystica *dant gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viventi in seeula seculorum.*

58. Jam verò Angeli in δοξολογία sua Esa. 6. descripta tribus distinctis Deitatis personis benedictionem offerunt, ut constat 1. *ex trina nominis sanctus repetitione.* Non canunt monagium, disagium, tetragium, hecatontagium, chiliagium, sed trisagium, h. e. non semel, nec bis, nec quater, nec centies, nec millies, sed tantùm ter acclamant *sanctus*, utiq; ergo non paucioribus nec pluribus Deitatis personis quàm tribus benedictionem offerunt. 2. *ex aliorum Scripturæ locorum collatione.* Patris gloriam ab Angelis in hoc trisagio celebratam fuisse extra omnem controversiam est, aliàs enim verus Deus non esset. De Filio expressè testatur Johannis cap. 12. v. 40. 41. quòd *Propheta ejus gloriam viderit*, jam verò cujus gloriam Propheta vidit, illi Angeli acclamarunt, sanctus. De Spiritu sancto Apostolus Act. 28. v. 26. testatur, quod in hac visione cum Propheta locutus fuerit dicens: *Vade & dices populo huic*, jam verò is qui cum Propheta loquitur, Angelorum hymno prædicatur. 3. *ex numeri pluralis usurpatione.* Cujus gloriam Angeli per suum τρισάγιον extollunt, is de seipso in plurali loquitur. v. 8. *Quem mittam & quis ibit nobis?* Illa verò pluralitas non est essentiæ, utique ergo personarum. 4. ex δοξολογίας *hujus repetitione.* Apoc. 4. v. 8. *Animalia* mystica *non habebant requiem dicentia die ac nocte. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui est, & qui venturus est.* c. 5. v. 11. *vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni & animalium & seniorũ.* v. 12. *dicentium voce magnâ, dignus est agnus qui*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

occisus est accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem. v.13. *& omnem creaturam, quæ in cœlo est & super terram & sub terra & quæ sunt in mari & quæ sunt in eis omnia, audivi dicentes. Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum.* Hîc videmus τριάγιον acclamari τῷ ἐρχομένῳ ac benedictionem offerri *Agno occiso*, jam verò utrumque pertinet ad Filium. Ergo is à δοξολογίας Angelicæ objecto nequaquam erit excludendus. 5. *ex antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum & Rabinorum testificatione.* Orig. homil. 4. in Esai. tom. 1. p. 559. *Non sufficit eis* (Angelis) *semel clamare Sanctus, neque bis, sed perfectum numerum Trinitatis assumunt, ut multitudinem sanctitatis manifestent Dei, quæ est trinæ sanctitatis repetita communitas, sanctitas Patris, sanctitas unigeniti Filii, & sanctitas Spiritus sancti.* Plura hujus generis adducta sunt testimonia in disp. Liseriana inaugurali de Trisag. Angelico part. 2. th. 25. ex Dionys. de cœl. Hierarch. c. 7. Justin. in qq. & resp. ad orthod. q. 44. p. 325. Alexand. I. Pap. Rom. tom. 1. Concil. p. 112. Athanas. disp. 1. contra Arium in Conc. Nic. tom. 1. p. 109. de communi essent. Patris, Filii & Spiritus sancti tom. eod. p. 376. de hum. natura suscepta tom. eod. p. 469. 470. Didym. l. 2. de S. S. apud Hier. tom. 6. p. 226. Basilio l. 3. contra Eunom. p. 104. l. 5. contra Eun. p. 156. Greg. Nyssen. in fragm. ex lib. de cognit. Dei tom. 3. Bibl. Patr. p. 478. Nazianz. orat. 38. p. 616. Epiphan. in ancorat. p. 936. 950. Ambros. l. 2. de fid. c. 4. tom. 2 p. 61. l. 3. de S. S. c. 18. tom. eod. p. 161. Chrysost. hom. 67. in Joh. p. 349. serm. de sancta & consubstantiali, vivificaque ac inseparabili Trinit. tom. 3. Hieron. ep. 142. ad Damas. tom. 3. p. 337. epist. 143. ad eund. tom. eod. p. 339. l. 3. comm. in Esai. tom. 4. p. 23. & seqq. l. 13. in Ezech. c. 43. tom. 4. p. 496. Augustin. de fide ad Petrum c. 1. contra Adimantium Manichæum c. 28. Isidor. Pelusiot. l. 2. ep. 143. p. 171. Cyril. in c. 6. Esai. Fulg. in discus. object. Arianar. p. 174. Damascenus l. 3. de orth. fid. c. 10. breviter omnia complectitur, scribens *Quod non ad solum Filium dictum est hoc trisagium, sed ad Trinitatem, testis est divus & sacer Athanasius, Basilius & Gregorius & omnis Deiferorum Patrum chorus, quod per trium sancti-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

ſanctitatem tres ſuper ſubſtantiales Deitatis hypoſtaſes ſancta Seraphim inſinuant, per unam autem dominationem unam divinæ principantis Trinitatis ſubſtantiam & regnum notificant. De Judæorum teſtimoniis videantur Galat. l. 2. de arcan. c. 1. & Weidn. in Loc. fid. Chriſt. præcip. tract. 1. R. Simeon Ben-Johai in h. l. ſic commentatur. קדוש זה אב קדוש זה בן קדוש זה רוח הקדש *Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus ſanctus.* Cum ex regno Neapolitano expellerentur Judæi, in Targum Jonathan Benuziel talis inventa fuit hujus loci paraphraſis. קדיש אבא קדיש ברא קדיש רוחא קדישא *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus S.* Confer. D. Helvic. tom. 4. diſp. Giſ. 10. p. 252.

59. 4. Δοξολογία *Apoſtolica* reſpondet formulæ benedictionis Sacerdotalis. Ratio conſtat ex illis, quæ paulò ante ſunt dicta. Jam verò Apoſtolica δοξολογία ad tres diſtinctas Deitatis perſonas refertur. Rom. 11. v. 34. ἐξ αὐτοῦ, δι αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *ipſi gloria in ſeicula.* Piſcator in ſchol. *ineptos* eos eſſe pronunciat, qui hæc tria membra ad tres perſonas Trinitatis applicant. Sed ipſe potiùs temerarius habendus, qui explicationem cum fidei analogia & aliis Scripturæ dictis congruam & communi Patrum ſuffragio receptam ſine cauſa repudiat. Ut plurimum enim in ſacris literis particula *Ex* tribuitur Patri, *Per* Filio & *In* Spiritui ſancto Patri tribuitur *Ex* ad denotandum, quòd ipſe ſit *principium ſine principio*, *Ex* enim eſt nota cauſæ originalis. Per tribuitur Filio, quia Pater agit per Filium tanquam ſubſtantialem ſuam virtutem Filius eſt *principium de principio.* *In* denique tribuitur Spiritui S. quia *In* ſignificat continentiam, Spiritus enim S. eſt nexus ſive vinculum Patris & Filii. Iren. l. 5. adv. hæreſ. c. 16. p. 340. *ſuper omnia quidem Pater & ipſe eſt caput Chriſti, per omnia autem verbum & ipſe eſt caput Eccleſiæ, in omnibus autem Spiritus & ipſe eſt aqua viva, quam præſtat Dominus in ſe rectè credentibus & diligentibus ſe.* Hilar. l. 2. de Trin. *Autor unus eſt omnium, unus eſt enim ingenitus Deus Pater, ex quo omnia, & unus unigenitus Dominus noſter Jeſus Chriſtus per quem omnia, & unus Spiritus donum in omnibus. Omnia ergo ſunt ſuis virtutibus ac*

4. *Ex δοξολογία Apoſtolica.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

meritis ornata, una potestas innascibilis, ex qua omnia; una progenies, per quam omnia, perfectæ spei munus unum. Nazianz. citante Galatino l. 2. de arc. c. 2. εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ὁ υἱὸς δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ᾧ τὰ πάντα. αὗται γὰρ αἱ προθέσεις τὸ ἐξ οὗ καὶ δι' οὗ καὶ ἐν ᾧ διὰ μὲν τὴν φύσιν τέμνουσιν, ἀλλὰ τὰς τῆς μιᾶς καὶ ἀσυγχύτου φύσεως ἰδιότητας χαρακτηρίζουσι. Idem orat. 5. de Theol. quæ est orat. 37. p 604. *Quid fecisses* (Pneumatomache) *si quælibet ex his præpositionib. unitujusq; personæ constanter tribueretur, cum tametsi omnes cum omnibus promiscuè construantur, ut studiosis & accuratis lectoribus perspicuum est, tantam ipse per eas & dignitatis & naturæ diversitatem inducas?* Ambros. tom. 4. in Symb. Apost. c. 3. *Quando dicimus, ex quo & per quem & in quo omnia, non naturam secamus, sed unitatem naturæ & voluntatis & operationis confitemur. Unus ergo Deus in iis tribus, & hæc tria unus est Deus, quod ita esse comprobat Apostolus, dicens. Et ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula.* Aug. de fid. & symb. c. 9. *Trinitas significatur, cum Apostolus dicit, quoniam ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia.* Et postea. *Etiam in illo loco Trinitatem ipsam videntur agnoscere, qui legunt attentiùs cum dicitur. Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Ex ipso, tanquam ex eo qui nulli debet quod est: per ipsum, tanquam per Mediatorem, in ipso tanquam in eo qui continet, i. e. copulatione conjungit.* Confer eundem l. 1. de Trin. c. 6. contra serm. Arian. c. 32. Gregor. l 29. moral. c. 16. *ut operationem S. Trinitatis ostenderet, ait. Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, atque ut unitatem ejusdem Trinitatis intimaret, protinus addidit, ipsi gloria in seculum. Quod igitur non ipsis, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius tertio idipsum dixit.* Damas. l. 3. orth. fid. c. 10. ex Nazianz. τὸ ἐξ οὗ καὶ δι' οὗ καὶ ἐν ᾧ μὴ φύσεις τέμνονται· οὐδὲ γὰρ ἂν μετέπιπτον αἱ προθέσεις ἢ αἱ τάξεις τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ χαρακτηριζόντων μιᾶς καὶ ἀσυγχύτου φύσεως ἰδιότητας &c. Ne quis enim vel essentiæ vel dignitatis inæqualitatem his particulis designari existimet, ideò in aliis Scripturæ locis particulæ illæ permu-

tantur

tantur. 1. Cor. 1. v. 9. Joh. 1. v. 16. Col. 1. v. 16. Heb. 2. v. 10. Vid. tract. de trib. Eloh. §. 19. Conferri autem possunt cum hac δοξολογίᾳ Apostolica, Trinitatis mysterium per μόρια διαιρετικὰ exprimente, etiam aliæ δοξολογίας formulæ, in quibus distinctarum personarum fit mentio. Rom. 9. v. 5. *Quorum patres & ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Rom. 16. v. 27. *Soli sapienti Deo per Jesum Christum ipsi gloria in secula seculorum.* 2 Pet. 3. v. 18. *Crescite in gratia & in cognitione Domine nostri & Salvatoris Jesu Christi, ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis.*

60. 5. Denique quòd Sacerdotes in V. T. per trinam nominis Jehova repetitionem populo benedicentes Trinitatis mysterium expresserint, colligi potest *ex formulis benedictionum*, quibus Apostoli in N. T. utuntur, in illis enim modò duarum, modò trium distinctarum Trinitatis personarum mentionem faciunt. Rom. 1. vers. 7. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*, quæ formula repetitur 1. Cor. 1. v. 3. 2. Cor. 1. v. 2. 2. Tim. 1. v. 2. Tit. 1. v. 4. *Gratia, misericordia & pax à Deo Patre & Domino Jesu Christo Salvatore nostro.* In hisce formulis à Patre & Filio gtatiam, misericordiam & pacem, i. e. benedictionem æqualiter Apostolus precatur illis ad quos scribit, eo ipso & essentiæ unitatem & personale discrimen Patris ac Filii manifestum faciens. 2. Cor. 13. v. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi & caritas Dei & communicatio Spiritus sancti sit cum vobis omnibus.* Apoc. 1. v. 4. Johannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, qui erat & qui venturus est, & à septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.* v. 5. *& à Jesu Christo qui est testis fidelis* &c. Per septem Spiritus μετωνυμικῶς intelligitur S. S. autor septem donorum, i. e. omnium donorum Spiritualium, quia septenarius est numerus perfectionis. Esa. 11. v. 1. quia gratiam & pacem non nisi à solo Deo precari solent Apostoli. Justin. in paræn. ad Græc. οἱ ἱεροὶ προφῆται τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα εἰς ἑπτὰ πνεύματα μερίζεσθαι φασιν. Glos. ord. h. l. *unus naturâ, gratiarum diversitate multiplex.* Ex quibus omnibus sic concludimus. A quo Apostoli in novo Testamento benedictionem precantur,

5. Ex formulis benedictionum Apostolicarum.

suis

ſuis auditoribus, ab eodem etiam Sacerdotes V. T. populo benedictionem ſunt precati. Jam verò Apoſtoli in N. T. benedictionem precantur ſuis auditoribus à vero illo Deo, qui eſt in eſſentia unus, in perſonis trinus. Ergo etiam Sacerdotes V. T. populo benedictionem precati ſunt à vero illo Deo, qui eſt in eſſentia unus, ſed in perſonis trinus, ac per conſeq. trina nominis Jehovah repetitio in formula benedictionis ad myſterium Trinitatis rectè accommodatur. Major probatur ex eo, quia aliàs conſequens fuerit, alium Deum V. alium N. T. conſtituendum eſſe, qui error in Marcionitis jam olim fuit damnatus. Minor patet ex dictis.

61. Atque hæc ſunt quatuor illa noſtræ expoſitionis fundamenta primaria, quibus duo ſecundaria conjungimus. Quintum enim fundamentum deducimus *ex Chriſtianorum interpretum teſtificatione.* Complures veteris Eccleſiæ Doctores trinam illam nominis Jehova repetitionem in formula benedictionis Sacerdotalis adhibitam ad tres Divinitatis perſonas retulerunt. Athan. in lib. de communi Deitatis eſſentia tom. 1. p. 379. theſin illam, quòd etiam in V. T. Trinitas peculiarem operationem exhibuerit, probat non ſolùm *ex triſagio Seraphico*, ſed etiam *ex hac formula benedictionis.* Theodor. in comm. Num. 6. q. 11. *Secunda benedictio Dei ac Salvatoris noſtri apparitionem prænunciat. Oſtendat enim inquit Dominus faciem ſuam tibi & miſereatur tui. Nam miſericordiæ plena eſt Dei atque Salvatoris noſtri diſpenſatio ſecundùm carnem, quapropter reconciliationes etiam erga Deum nobis largitus eſt.* Fulgent. in reſp. contra Arianos in Hæreſeol. p. 41. *Dominus per Moſen volens benedicere populum, hoc benedicendum tenore mandavit. Sic (inquiens) benedices populum meum & ego benedicam eos. Benedicat te Dominus &c. Ter Dominus dicitur & unus ſemper Dominus nominatur, ut in Trinitate quæ verus eſt Deus, nec confundatur proprietas perſonarum, nec ſubſtantialis unitas denegetur.* Procopius in Num. *Trina precandi repetitio Trinitatem inſinuat, Deo autem jure optimo omne benedictionis meritum acceptum fertur.* Strab. Fuldenſis in gloſ. ordin. *Notandum, quia in hac benedictione nomen Domini tertiò inducitur, ut ſancta Trinitas intelligatur, à quo & per quem & in quo omnia bona*

§. *Ex Chriſtianorum Interpp. teſtificatione.*

ſunt petenda & impetranda, quia ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Rabanus in h. l. *In hac benedictione tripliciter formata tertio inditum & repetitum eſt nomen Domini, ut S. S. Trinitas, ex qua, per quam & in qua ſunt omnia bona ſignificetur.* Rupertus in com. *Benedicat tibi Dominus, ſubauditur Pater, oſtendat faciem tibi, ſubauditur Filius, convertat vultum ſuum ad te, ſubauditur S. S. quid hoc pulcrius? quid jucundius? Ecce in antiquiſſima lege novæ gratiæ lucem videmus, nominis ſancti Trinitatem, quam odit Judæus, quam diſſipat Arius, quam confundit Sabellius. Et nota ſingularum enunciationum pulcritudinem. Dominus, inquit, ſcilicet Pater, benedicat tibi, quod eſt bona dare: cuſtodiat te, quod eſt à malis liberare. Dominus Filius oſtendat faciem ſuam tibi, quod eſt bona dare, & miſereatur tui, quod eſt à malis liberare. Dominus Spiritus convertat vultum ſuum ad te, quod eſt bona dare, & det tibi pacem, quod eſt à malis liberare. Nam hic eſt geminus divinæ benedictionis fructus, ut bonis repleamur & malis careamus.* Huc referantur dicta Veterum, ſuperiùs enumerata, in quibus trinam repetitionem nominis Jehovah in Pſal. 67. v. 7. 8. ad myſterium Trinitatis accommodant, eſt enim illius loci cum hoc noſtro eadem per omnia ratio. Ex recentioribus Interpp. adducimus unicum Lutherum, qui inſtar omnium eſſe poteſt. Is in cantione Eccleſiaſtica Pſal. 67. ſic reddidit. Vns ſegen Vater vnd der Sohn/ vns ſegen GOtt der H. Geiſt/ dem alle Welt die ehre thut/ ꝛc.

62. Sextum fundamentum petimus *ex ritus quem in pronuncianda iſta benedictione obſervare conſueverunt, peculiari ratione.* Weidner. in loc. fid. Chriſt. præcip. tract. 1. *His benedictionibus Sacerdos alicui benedicens protenſus ante vultum ſuum palmas utrasq; tenebat, cum vero dicebat Dominus, tres digitos priores, pollicem videlicet indicem atque medium manus utriusq; rectos altius erigebat, & dicto ita Domino, digitos ut prius remittebat. Quid trium digitorum elevatione melius quàm Trinitatis excellentia poterit allegorizari?* Deſumſit hoc Weidnerus ex Salomone Trecenſi commentatore Scripturæ ordinario, qui referente Capnione l. 3. Cabalæ col. 763. (qui libri ad calcem Galatini de arcanis ſunt adjecti) ſic ſcribit. *Itaque Sacerdotes* פורסים *diſtendunt manus ſuas dicendo. Sanctus benedictus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

ipse הַקָּדוֹשׁ בָּרוּךְ הוּא (per notariacon ſcribunt הקב"ה) *ſtat poſt nos, ſicut ſcriptum eſt, En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum animadvertens de feneſtris inter digitos Sacerdotum.*

63 Coronidis loco hûc referri poteſt, 1. *nominis Jehovah in hac benedictione ter repetiti Cabaliſticæ expoſitio.* Quia enim nomen Jehovah ter repetitum duodecim literas continet, ideo priſci Rabini illud expoſuerunt per nomen 12. literarum, quod docente Rabbeni Haccados in גדלי רזייא non fuit unum aliquod nomen 12. literis conſtans, ſed complexio multorum nominum tot literas habens ad unum illud tetragrammatum exponendum accommodatas, idq; vocant שֵׁם הַמְפֹרָשׁ שֶׁל יב אוֹתִיּוֹת Tale verò nomen expoſitum eſt אב בן ורוח הקדש *Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Galat.l.2. de arcan. c. 11. Plura hac de re diximus ſuo loco. 2. *ritus Judæis in benedictione uſitati obſervatio.* Quando Judæi hodie ex ſua Synagoga diſcedere cupiunt, abſolutis omnibus precibus, ſic dicunt Hebraicè ac ſeſe abſolvunt. עוֹשֶׂה שָׁלוֹם בִּמְרוֹמָיו הוּא יַעֲשֶׂה שָׁלוֹם עָלֵינוּ וְעַל כָּל יִשְׂרָאֵל אָמֵן: *Qui facit pacem in excelſis ſuis, ipſe faciat pacem ſuper nos & ſuper univerſum Iſrael, Amen* Ac qui hanc orationem dicit, tribus paſſibus retrocedit, inclinando ſe dextrorſum, levorſum & antrorſum, tantumque huic precationi tribuunt, ut putent Deum propter eam non tantum populo ſuo judaico, ſed etiam univerſo orbi benefacere.

Divinæ eſſentiæ unitas.

64. Oſtendimus hactenus in formula benedictionis Sacerdotalis *perſonarum divinarum Trinitatem* inſinuari, reſtat ut in eadem *divinæ eſſentiæ unitatem* proponi demonſtremus. Eam verò oſtendit. 1. *nomen ſingulare Jehovah.* Quamvis enim tribus diſtinctis vicibus ad Trinitatem perſonarum in divinis demonſtrandam nomen Jehovah repetatur, unus tamen duntaxat Jehovah nominatur, & quia illud nomen ab eſſentia dictum, ex eo colligitur, unam duntaxat eſſe divinam eſſentiam tribus Deitatis perſonis communem. Quò etiam pertinet illud, quòd in ſingulari dicitur, *ponent nomen meum,* non autem nomina,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

nomina, perinde ut in N. T. baptizari jubemur non in nominibus, sed *in nomine Patris, Filii & S. S.* quia ut una est tribus communis Deitas, ita quoque nomen unum Deitatis significativum. 2. *pronomen sive affixum singulare. Ponent* שְׁמִי *nomen meum* וַאֲנִי *& ego benedicam.* 3. *verbum singulare* אֲבָרְכֵם *benedicam eis.* Potuisset Deus ad denotandam personarum pluralitatem dicere. *Ponent nomen nostrum super filios Israel & benedicemus eis*, sicut in creatione dicit. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & Christus inquit, *Ego & Pater veniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus*, sed ut essentiæ divinitas illustrius exprimatur, post trinam nominis Jehovah repetitionem, & distinctorum beneficiorum enumerationem subjungitur & nomen & pronomen & verbum singulare. *Ponant nomen meum super filios Israel, & ego Jehovah benedicam eis.*

65. *Antithesis.* Negant in hac benedictionis formula mysterium Trinitatis contineri 1. *Photiniani.* Schmaltz. cont. Schopper. p. 13. *Ad hos & alios similes locos, in quibus ter Dei fit mentio, nihil aliud respondendum putamus, quàm quod hujusmodi frivolis conjecturis sanctissima Christi religio suspecta reddi possit omnibus ejus hostibus. Quis enim non intelligit repetitâ istâ voce Dei non personarum Trinitatem (nam vox Dei potius Deorum Trinitatem referret) indicari, sed rei, de qua sermo est; nempe precationis vel benedictionis perfectionem & incrementum. Quemadmodum etiam alibi cum ter Deus sanctus appellatur, perfectio sanctitatis vel constans ejusdem asseveratio & prædicatio innuitur. Item cum apud Jerem. cap. 7. v. 4. Deus dicit. Nolite confidere in verbis mendacii, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, & alibi cap. 22. v. 29. apud eundem Prophetam. O terra, terra, terra. Et apud Ezechielem c. 21. v. 27. cum de corona Regis Zedechiæ dicitur Obliquam, obliquam, obliquam ponam eam. Ubi nemo non videt, istam repetitionem adhiberi tantum majoris & absolutæ assertionis gratia, non verò ob triplicitatem rerum, quarum ibidem fit mentio. Perfectionem autem quandam numero ternario contineri, inter alia exemplæ multa hæc pauca ostendere possunt. Christus ter Petrum interro-* *Antithesis 1. Photinianorum.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

gat, an se ament, & ter illi mandat ut agnos veloves pascat. Act. 10. v. 16. & 11. v. 3. *Petro visio exhibetur variarum pecudum quas mactare jubebatur. Paulus ter Christum rogavit, ut Angelus Sathan discederet, & Christus ter Patrem rogavit, ut calix à se transiret.* Socin. in defen. anim. Posnan. c. 12. p. 307. eadem habet, & addit. *Solent ejusmodi conjecturæ* (de trina nominis Jehovah & nominis Sanctus repetitione) *ab iis, qui paulò cordatiores sunt, non ad quicquam revera probandum afferri, sed ad ejus quod alioqui sat probatum fuerit, majorem quandam, tanquam sc. per effectus, quamvis non proprios, confirmationem. Quocirca si alioqui de Trinitate personarum in Deo constaret, tunc sanè liceret acclamationem istam & si qua sunt alia similia, ad eam Trinitatem præsertim in ipsis locis explicandis accommodare.*

2. *Quorundam Calvinianorum.*

66. 2. Quidam ex Calvinianis. Danæus in comm. Lomb. l. 1. sent. dist. 2. cap. 6. p. 42. *Quod ex trina benedictione, quæ in Psalmo 67. ac diversis locis reperitur, colligit Lombardus ad ejusdem articuli* (de Trinitate) *tam vexati fidem faciendam est; junum & exile, ne dicam ἀπροσδιόνυσον, cum trina illa benedictio sit duntaxat vehementis precationis indicium & ubertatis in eo Psalmo non ullius mysterii significatio & Sacramentum* (contrarium ex ipsis Calvinianis statuunt Szegedinus in tabul. p. 509. Mollerus in Psal. 67. & alii complures.)

67. Resp 1. Socinus ipse d. l. fatetur, *si alioqui de Trinitate personarum in Deo constaret, tunc licere acclamationem illam Seraphicam & si qua sunt alia similia* (quibus verbis trinam nominis Jehovah repetitionem indigitat) *ad eam Trinitatem præsertim in ipsis locis explicandis accommodare, nec aliter fortasse accipiendum esse, quicquid antiquiores Theologi de ejusmodi locis ad eam accommodandis scripserunt.* Subsumo. Atqui de Trinitate personarum in Deo constat ex manifestis Scripturæ oraculis, videlicet ex θεοφανείᾳ in Baptismi, Christo collati, administratione, ex Baptismi nostri institutione, ex distincta trium divinorum testium enumeratione &c. Ergo licet trinam illam nominis Jehovah repetitionem ad personarum in Deo Trinitatem accommodare, quod ipsum antiquiores Theologos feciisse superiùs demonstravimus, & Socinus vi

verita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

veritatis coactus fatetur. 2. Fatetur idem Socinus p. 308. instantias à se & suis allatas non probare, quod nullo pacto fieri possit, ut ad personarum Trinitatem respiciat, sed hoc duntaxat ostendere, *nihil necesse esse, ut ad eam respiciat.* Subsumo. Atqui probandum erat adversariis, trinam illam repetitionem non posse ad personarum in Deo Trinitatem accommodari, si nostram evertere vellent sententiam. Nobis contrà sufficit, quòd juxta fidei analogiam illa repetitio trina eò accommodari possit, quod enim eo accommodari debeat, illud ex aliis clarioribus Scripturæ locis, & ex repetitionis hujus explicatione in ipsis Scripturis tradita, demonstramus. 3. utitur Socinus p. 309. hac ratiocinatione. *Quia in acclamatione Seraphica non ipsum Dei nomen sed tantummodo Dei epitheton repetitum fuit, ideò non posse hoc ad Trinitatem personarum in Deo accommodari.* Subsumo. Atqui in benedictione Sacerdotali non nudum aliquod epitheton, sed proprium Dei nomen ter repetitur. E. à contrario sensu ad personarum Trinitatem illud optima ratione accommodari poterit. 4. In trina illa nominis Jehovah repetitione aliquid mysterii latere & causam aliquam repetitionis illius investigandam esse adversarii largiuntur, unde ipsi majoris & absolutæ assertionis gratiâ vel ad benedictionis perfectionem ac incrementum significandum eam adhiberi disputant. Eccur verò causam hujus trinæ repetitionis in Scripturis ab ipso S. S. monstratam prætermittere atque aliam nostro ingenio ac privato arbitrio excogitatam eidem substernere velimus? 5. Si majoris duntaxat & absolutæ assertionis gratiâ repetitio illa nominis Jehovah fuisset adhibita, potuisset non ter duntaxat, sed etiam quater, quinquies, imò centies adhiberi, & quò pluribus vicibus adhibita fuisset, eò majus benedictionis incrementum significasset. Sed Deus ipse ter duntaxat nomen Jehovah repetere jubet, & David in commentario hujus benedictionis Psal. 67. v. 7. numerum illum ternarium præcisè retinet. 6. Quæ ex Scripturis afferuntur trinæ repetitionis exempla, quibus nulla subsistentiarum Trinitas in reipsa respondet, ea sunt penitus aliena ac nihil contra nos probant, quia destituuntur ejusmodi circumstantiis, quas in trina nominis Jehovah repeti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

tione ostendimus. 7. illud ipsum, quod adversarii trinam repetitionem ad perfectionis significationē referunt, nostram potiùs confirmat sententiam, quam ut eam labefactet. Quærimus enim ulterius, quæ causa afferri possit, quòd numerus ternarius præ reliquis perfectionem notet, ac ab omnibus populis pro numero Sacro, mystico & perfecto semper fuerit habitus? hîc certè adversarii agnoscere debebant, ut omnis *Entitatis & veritatis*, ita quoq; *perfectionis* normam in Deo quærendam esse, cùm sit Ens summum & perfectissimū, (illa formaliter & propriè perfectionē in Deo notant, quibus res ipsa in Deo respondet, ac tunc de Deo perfectissimè loquimur, quando de ipso, uti est, loquimur) inde ergo atq; ideò numerus ternarius notat perfectionem, quia in Ente summo & perfectissimo, in Deo scilicet, est quædam Trinitas, & quia perfectissimū illud Ens numero ternario primò denotatur, cùm omnis perfectio in creaturis æstimanda sit ad perfectionem divinam tanquam regulam, quæ vel formaliter vel eminenter omnem creaturarum perfectionem in se continet. 8. In loco Jer. 7. v. 4. quandam pluralitatis significationem contineri patet ex pronomine plurali הֵמָּה quod Arias reddidit, *ipsi*. Pagn. *sunt*. Pluralitas illa in nomine הֵיכַל ter repetito referri potest ad tres templi partes, *atrium* sive locum populi, *sanctum* in quod Sacerdotes quotidiè ingrediebantur, & *sanctum sanctorum*, in quod summus Pontifex semel in anno ingrediebatur; pluralitas in nomine Jehovah ter repetito non potest rectius explicari, quàm ex ipsis Scripturis. Eæ verò toti Trinitati templum illud tribuunt. Patri illud tribui adversarii non dubitant. Luc. 2. v 49. Christus in templo inventus dicit. *Oportet me esse in his quæ sunt Patris mei*. De Filio idem demonstramus ex Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam & statim veniet* אֶל־הֵיכָלוֹ *ad templum suum* הָאָדוֹן *ille Dominus Meßias* sc. *quem quæritis*. De Spiritu S. illud demonstramus hac ratiocinatione. *Si Spiritui sancto tribuitur templum Spirituale*, utiq; etiam templum corporale utpote illius typus rectè ipsi tribuitur. Sed verum prius ex 1. Cor. 3. v. 16. c. 6. v. 19 9. Locus Jer. 22. v. 29. itidem non quadrat, quia אֶרֶץ ter repetitum ponitur in *casu vocandi*, jam verò

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

in omnib. linguis usitatum est, emphaseos causa in exclamationibus vocativum repeti. Sed Jehovæ nomen in formula benedictionis ponitur in casu nominandi, quem absque personarum pluralitate in lingua sancta repeti nondum est probatum. 10. Locus Ezech. 21. v. 27. à quibusdam refertur ad triplicem cladem regni Judaici, quarum unam à Babyloniis, alteram ab Antiocho, tertiam à Romanis sustinuit. Adde quòd non incommodè & hic ipse & prior locus Propheticus ad Trinitatem personarum in Deo referri posset, quia in nomine Trinitatis terra adjurari potest ut audiat, ac tota Trinitas, quippe cujus opera ad extra sunt indivisa, desolationem illam fecit. 11. Frivolum est quod Schmalt. addit vocem Dei ter repetitam potius Deorum Trinitatem referre, ostendimus enim superius & personarum Trinitatem & essentiæ divinæ unitatem in hac benedictionis formula exprimi, cùm nomen Jehovah ter quidem repetatur, sed tamen in singulari semper ponatur, cúmq; & nomen & pronomen & verbum singulare in promissione addita subjiciatur. *Ponent nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Atque hæc de ἐξηγήσει benedictionis Ecclesiasticæ dicta sufficiant.

Aphorismi doctrinârum usum exhibentes.

Num. 6. 1. *Moses in æde Dei fidus promtusq; minister.* *Heb. 3. 6. 5.*

v. 22. 2. *A facie ad faciem Deus est cum Mose locutus,*
Cui Vatum assurgit chorus omnis, teste Jehovâ. *Num 12. 6. 8.*

3. *Inspirante Deo Moses Vatesq; locuti.* *2. Pet. 1. 6. 21*

4. *Omnis homo sileat Domino sacra verba loquente,* *1. Sam. 3. 6. 9.*
Et vanæ cœlo resonante, tonante quiescant.

v. 23. 1. *Israëli Aaron, nobis benedicit JESUS,* *Act. 3 6 25.*
Quem verbis Aaron, quem factis exprimit ipsis. *Heb 5. 6. 5.*

2. *Moysis os Aaron erat, interpresq; sacrorum.* *Ex. 4. 6. 16.*

3. *Connata ob veteris culpæ contagia, duro*
Mortales cunctos maledictio pondere pressat. *Gal. 3 6 13.*

4. *Vox legis miseros maledictis terret & angit:* *Deut. 27. 6 27.*
Vox Evangelii benedictis pectora mulcet. *Gal. 3. 6. 14.*

5. *Summa*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

	5. *Summâ Ministerio à verbi reverentia sacro*	*1 Tim. 5.*
	Debetur, cùm sit τῆς εὐλογίας τὸ ὄχημα.	*ℌ. 17.*
	6. *Ut rectè doceas, benedic, oraque Sacerdos.*	*1 Sam 12.*
	7. *Et benedicendi formam, formamq; docendi*	*ℌ. 23.*
	A fide & vitæ reverenter disce Magistro,	
	Sic populo rectè benedices, sic bene dices.	*2. Tim. 3.*
v. 24.	1. *Quos Deus in populum recipit πρόσωπον, illis*	*ℌ. 15.*
	Propter promissum benedicti seminis offert	
	Et cœli & terræ bona, quæ benedictio signat.	*Exod. 20. ℌ. 24.*
	2. *Fons Triados Pater est, fons εὐλογίας manet idem.*	*Eph 3 ℌ. 3.*
	3. *Custodit noxâ Schomer Israëlis ab omni.*	*Ps. 21. ℌ 4.*
v. 25.	1. *In Christo Patris facies peramica relucet.*	*Joh. 14 ℌ. 9*
	2. *Non aliter nisi per Christum atq; in nomine Christi*	
	Obtingit Domini miserentis gratia nobis.	*Eph 1. ℌ 6.*
	3. *Non meritum est, sed gratuitum benedictio donum.*	*Rom. 6.*
v. 26.	1. *Et pacis sensum & blandi solaminis auram*	*ℌ. 23.*
	Mentibus inspirat Numen spirabile sanctis.	*Rom. 14.*
	2. *Spiritus obsignat pacem, quam sanguine fuso*	*ℌ. 17.*
	Promeruit pacis Princeps atque unicus autor.	*2. Cor. 1.*
	3. *Omnia concludit bona pacis amabile nomen,*	*ℌ. 22.*
	Dixeris omne bonum, pacem si dixeris almam.	*Gen. 43.*
v. 24. 25. 26.	1. *Non ignota piis veteri sub fœdere quondam*	*ℌ. 26.*
	Sacratæ Triados mysteria sacra fuêre.	*Gen. 1. ℌ.*
	2. *Impia majorum soboles Judæa piorum*	*2. 3.*
	Desine blasphemis Triadem proscindere dictis.	
	3. *Vipereum Photine genus depone furorem,*	
	Et Triadi defer præconia debita laudum.	
	4. *Non hujus tantùm perituræ commoda vitæ*	
	Sancto Israëlis populo promissa putemus.	*Gen. 3. ℌ. 15.*
v. 27.	1. *Utilis ac vetus est manuum exporrectio ritus,*	
	Qui cor devotè ad Dominum monet esse levandum.	*Gen 48.*
	2. *Non caret eximio sancti benedictio fructu*	*ℌ 14.*
	Seu privata fides hanc, seu vox publica promat.	*Matth. 10. ℌ. 13.*
	3. *A Domino benedicto omnis benedictio manat.*	*Jac 1. ℌ. 17.*
	Sit Domino benedicto omnis benedictio soli.	*Apoc. 5.*
	Sit benedicentis benedictum in secula nomen.	*ℌ. 13.*
	Amen, Amen.	*Ps. 72. ℌ 19.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-81 4° 00894